De ratione Stoica in Persii satiris conspicua

M. E. Houck

*731. Houck, M. E. De Ratione Stoica in Persii satiris conspicua. Diss. Daventriae. Apud Jacobum van der Meer. 1894. 8°. ff. (4) + pp. vi + 112. *HCL, Leeuwarden.*

DE RATIONE
STOICA IN PERSII SATIRIS
CONSPICUA

DE RATIONE STOICA IN PERSII SATIRIS CONSPICUA

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P. A. VAN DER LITH,

JUR. ROM. ET HOD. DOCT., IN FACULTATE JURIDICA PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

MAURITIUS ERNESTUS HOUCK

DAVENTRIENSIS

DIE XII M. DECEMBRIS, A. MDCCCXCIV, HORA III.

DAVENTRIAE.

APUD JACOBUM VAN DER MEER.

MDCCCXCIV.

TYPIS P. BEITSMA.

UXORI CARISSIMAE.

Praeter alia errata et menda typographica nullius momenti, quae silentio praetereo, haec corrigenda sunt:

pag. 13, l. 23: insere post moveat: (Sen. ep. 65).

pag. 18, l. 33: de nat. deor. 62 sqq., lege: de nat. deor. II c. 62/153 sqq.

pag. 20, l. 13: Plut. de plac. phil. 5, lege: Plut. de plac. phil. IV. 5 et 21; vide pag. 69 h. d. ad 48).

pag. 29, l. 36: Λόγο, lege: Λόγου.

pag. 43, l. 16: maiorem, lege: maiorum.

pag. 49, l. 4: ut supra vidimus, lege pro his verbis: (ep. 50 in fine).

pag. 52, l. 26: Vide pag. 6, lege: vide pag. 4.

pag. 60, l. 13: ad Helvid. 9, lege: ad Helvid. 11.

INTRODUCTIO.

Quamquam vereor, ne multi audaciam meam accusent, quod post tot ac tam admirandas editiones, quarum, ne laudem ceteras, solas quas curaverunt Casaubonus Jahniusque commemoro, vires meas infirmas ad explicandum poetam omnium latinorum maxime involutum admovere audeam, tamen hunc laborem suscepi, ratus me usum duce ratione stoica quaedam invenisse, quibus veram ac integram Persii verborum sententiarumque vim elicerem.

Ut dico, Stoa est obrussa, ad quam Persii quae vulgo vocantur satirae, exegi. Quarum primam, quum nihil fere vel pauca habeat, in quae quadrant, quae Zeno eiusque discipuli et adsectatores docuerunt et conscripserunt, silentio praetereo. Unus omnium maxime me adiuvit Lucius Annaeus Seneca, cuius scripta haud parvam praebent copiam sententiarum ac dictorum, quae Persii menti admodum finitima sunt.

Credo me haud procul a vero abesse dicentem paucos scriptores aptiores esse ad illustrandum poetam nostrum difficilem et obscurum. Quod suo loco apparebit; nam saepissime huius philosophi verba descripsi, quum ad explicanda ea, quae habet poeta, tum ad supplenda ea, quae sibi voluisse ac sensisse mihi videtur, nec tamen verbis expressit.

Hanc enim ob causam Persii opera tam difficilia sunt ad intelligendum, quia poeta habet stilum abruptum, parum cohaerentem; quod vitium mihi ortum videtur e nimia quadam ingenii velocitate, qua praeditus non curat, ut ea, quae

praecedunt et sequuntur rite et apte inter se connectat, sed quidquid ei venit in mentem statim litteris mandavit. Qua de causa nulla eius satira corpus ut aiunt habet; imprimis satira prima praebet seriem argumentorum variorum, quae, quum sint cogitationes repentinae et subitae, alia aliis quasi conglutinata videntur.

Sed et aliter hoc vitium explicari potest. Commentator Probus Valerius nobis tradit „Persium raro et tarde scripsisse". Coniicio — dico coniicio, nam quae de vita ac moribus poetae nostri tradita habemus, fontes non abundantes sunt, unde hauriamus — Persium fuisse iuvenem animi nobilissimi atque praestantissimi, cognitionis et scientiae cupidissimum; eum multum legisse et multa didicisse, quae ei penitus haeserint in felici memoria; caput eius igitur — si liceat dicere — refertum fuisse variorum scriptorum et poetarum dictis et sententiis; flagrasse eum cupiditate perstringendi flagitia et stultitias hominum suae aetatis; defuisse tamen ei facultatem conformandi ea, quae sibi vellet atque sentiret; hinc eum raro et tarde scripsisse et copiam dicendi aliunde petiisse. Semper ubique tibi occurrunt verba et dicta Horatiana; „nemo, qui vel summatim humanitatis studia attigit, Persii satiras legit, quin statim imitationis Horatianae aliqua saltem vestigia deprehendat" — ut scribit Casaubonus, qui idem: „si exstarent Lucilii satirae, non dubito etiam in illis reperiri quaedam posse, quibus noster sua fecerit auctiora et luculentiora".

Noli tamen credere me contendere Persium furti accusandum esse, si in eius carminibus multa inveniamus, quae eadem praebent legenda Horatius, Seneca, alii. Id procul a me aberit! Societas humana qualis esset, non suis sed alienis oculis perspexit poeta. Secretus ab hominum frequentia doctrinam et litteras inter parietes et in scholis assecutus est. Quid mirandum eum saepissime aliena dicta retulisse et, quae in rhetorum et philosophorum scholis audivisset, oratione pedestri spreta, rythmo et modis aptasse, et versus eius interdum non nisi locos communes continere, qui poetae aetate et ante eum circumferrentur? Sed haec hactenus. Omitto porro,

quae scriptores vetustiores ac recentiores de poetae vita ac patria, quae de propinquis tradunt.

Attamen, priusquam quod mihi proposui opus aggredior, breviter de philosophis et philosophia disputabo, ut deinde rationem stoicam paulo fusius tractem, cuius plane ignarus nemo umquam Lycophronis latini satiras percepturus sit.

Studiis grammaticis, rhetoricisque peractis, adolescentes romani toga praetexta deposita et virili sumpta, in philophiam incumbere solebant; sentiebant enim vel ipsi, vel parentes, omnibus, qui vitam bene ordinatam ac dispositam agere vellent, norma opus esse, ad quam omnia facta dirigerentur. Probe enim sciebant illi veteres Romani, iuvenes decimo sexto anno vixdum peracto minores esse natu, quam qui sine cortice natare possent, discendam igitur esse regulam, quae doceret, quid esset vitandum, quid petendum, quid malum, quid bonum.

Hoc docet — loquor ex eorum, non ex meo sensu — philosophia, qua neglecta auctore Seneca simillimi pueris sumus, quibus omne ludicrum in pretio est, et non pueritia in nobis, sed quod gravius est, puerilitas remanet, et auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum, sed infantium (epp. 115 & 104).

Adolescentes igitur, ita omnes graviores Romani volebant, *viri* fieri debebant; scopus erat *sapientia*, via *philosophia*. Multi tamen — ut mox videbimus — et sua et magistrorum culpa propositum non assecuti sunt.

Omnes philosophi, quamcumque disciplinam profitebantur, commode in tria genera dividi possunt.

Unum genus est eorum, „qui libertate promiscua usi sunt, et obvios quosque monuerunt'' (Sen. ep. 29 initio).

Alterum eorum, qui in aula vel in aedibus nobilium officia praestabant.

Tertium eorum, qui scholam habebant publicam.

Qui referendi sunt ad genus primum a Diogene, Cynico illo profecti omnes fere insignes erant patientia, inopia, virtute, pietate, quamquam quidam inter eos impudentiae et sordibus se dabant. „Cynicus — ut ait Epictetus vel si mavis Arrianus — ex-

plorator quidam est et velut legatus a Iove ad visendas res humanas missus". Exemplo utebantur Cynici Socrate ipso, patre omnis sapientiae, qui, ut quisque obviam se offerebat, cives appellabat et εἰρωνικῶς interrogabat (de vero et legitimo Cynico vide Epict. diss. 22 l. 3 et Friedl. Sittengesch. Roms s. 604 th. 3). Sequitur genus, quod versabatur in domibus principum et nobilium Romanorum. Mos erat Romae apud se habere domi philosophum quemdam, per contemptum nonnumquam Graeculum vocatum, quocum pater familias, si ei esset male post omnis generis voluptates et luxurias, quum excruciaretur animus flagellis conscientiae, philosopharetur. Perpauci inter eos, ut re vera mentem corrigerent, philosophum adhibebant; plerique philosophiam in ima praecordia non demittebant, nam aliquamdiu philosophati in vitia redibant, simulatque primae nauseae evanuerunt. Tum magistros, quibus in praesentia nihil utebantur, inter coenam et potationes cavillis petebant, et non raro verbis haud ambiguis significabant, eos non nisi mercede conductos esse. Nec tamen desunt exempla eximiae inter dominum et philosophum necessitudinis; en habes Julium Kanum sive Canium, quem „philosohpus suus prosequebatur ad tumulum, in quo Caesari deo nostro fiebat quotidianum sacrum" (Sen. de tranq. an c. 14 in fine), „Paetum Thraseam, qui exspectans supplicium, cum Demetrio cynicae institutionis doctore, de natura animae et dissociatione spiritus corporisque inquirebat" (Tac. ann. l. 16 c. 34), multos praeterea alios, quos omitto. Durissima omnium conditio erat philosophis, qui versabantur in aula, ubi vivendum erat cum principibus plerumque morosis vel vesanis et omnibus vitiis deditis. Perpauci principes philosophos tam liberaliter ac honorifice tractabant quam „Julia Augusti uxor, quae post mortem Drusi, se consolandam Areo philosopho viri sui praebuit" et Augustus, qui eo assiduo comite utebatur, et quocum uterque non tantum quae in publicum emittuntur, sed omnes quoque secretiores animorum motus communicabat" (cons. ad. Marciam c. 4). Nero, „quem mater a philosophia avertit monens imperaturo contrariam esse" (Tac. ann. l 15. c. 15), „sapientiae doctoribus tempus impertiebat post epulas, utque contraria adseve-

rantium discordia frueretur" (Tac. ann. l. 14. c. 16). Sub pessimis illis, quos tulit Roma, imperatoribus, qui aliis imperare volebant, sibi non poterant, philosophiam in aula florere non potuisse doctoresque assentatoribus quam viris liberi et ingenui animi similiores fuisse, facile intellegitur. Marci Aurelii tunc nondum nati erant, fautores bonarum artium, qui palatium fecerunt refugium virtutis et sapientiae.

Ut igitur essent liberi in dicendo tacendoque, ii philosophi, qui sibi aliquantulum virtutis et honoris tribuebant, procul ab aula principibusque et omni nobiliorum coetu recedebant, iustis de causis rati, sicui umquam philosopho suo non alieno arbitrio vivendum esse. Hi erant, qui cadunt in genus tertium. Habebant scholam publicam, et discipulos rationem philosophicam, quam profitebantur, mercede docebant. Perpauci, inter quos Nigrinus, philosophus platonicus, hoc damnaverunt dicentes philosophiam studium virtutis, non artem venalem esse (cf. Lucian. Nigr. c. 25). Plerique tamen philosopho mercedem honeste acquisitam non negabant. „Desine — ita exclamat Seneca — philosophis pecunia interdicere: nemo sapientiam paupertate damnavit. Habebit philosophus amplas opes: sed nulli detractas, nec alieno sanguine cruentas, sine cuiusquam iniuria partas, sine sordidis quaestibus, quarum tam honestus sit exitus quam introitus, quibus nemo ingemiscat, nisi malignus. In quantum vis, exagera illas, honestae sunt: in quibus cum multa sint, quae quisque sua dici velit, nihil est, quod quisquam suum dicere possit. cet" (de vit. beat. c. 23). Et paullo infra: „Sicut sapiens nullum denarium intra limen suum admittet, male intrantem: ita et magnas opes, munus fortunae, fructumque virtutis non repudiabit, nec excludet".

Sed et hi philosophi non omni in re perfecti et laudandi fuerunt. Multum est, quod in his scholis possis reprehendere et iam a Musonio, Plutarcho, Epicteto, Tauro, aliis antiquitatis scriptoribus reprehensum est. Et magistri et discipuli in culpa fuerunt, quos ambos Seneca paucis his verbis optime notat: „Aliquid praecipientium vitio peccatur, qui nos docent disputare, non vivere: aliquid discentium, qui propositum afferunt ad

praeceptores suos, non animum excolendi, sed ingenium. Itaque, quae philosophia fuit, facta est philologia" (ep. 108). Idem in eiusdem epistolae fine: „Illud admoneo, auditionem philosophorum, lectionemque ad propositum beatae vitae trahendam: non ut verba prisca aut ficta captemus, et translationes improbas figurasque dicendi, sed ut profutura praecepta, et magnificas voces, et animosas, quae mox in rem transferantur. Sic ista discamus, ut quae fuerunt verba, sint opera. cet." Idem in fine ep. 88: „De liberalibus studiis loquor: philosophi quantum habent supervacui, quantum ab usu recedentis? Ipsi quoque ad syllabarum distinctiones et coniunctionum ac praepositionum proprietates descenderunt, et invidere grammaticis, invidere geometris. Quidquid in illorum artibus supervacuum erat transtulere in suam. Sic effectum est, ut diligentius sciant loqui quam vivere. Audi, quantum mali faciat nimia subtilitas et quam infesta veritati sit". Sequitur magna copia exemplorum, ex quibus patet iam ante Senecam etiam a principibus inter philosophos peccatum esse. Compluribus locis castigat et perstringit summus vir philosophos, qui petebant gloriam, opes, applausus, talia „indifferentia", qui magis studebant pulchrae elocutioni et magnificae actioni, quam ut se et auditorium suum corrigerent, qui minus curae adhibebant, ut darent κτῆμα εἰς ἀεὶ quam ἀκρόαμα εἰς τὸ παραυτίκα; discipulos, qui in scholis non emendationem sed oblectamentum quaerebant, „inquilinos" illos, qui multis apud philosophum annis persedebant, et ne colorem quidem ducebant (ep. 108).

Sed satis superque est; siquis harum rerum curiosus est, evolvat librum ab omnibus laudatum omnibusque laudandum, in quo Friedländer mores veteres Romae depingit.

Nunc tempus esse credo audire, quid docuerit celeberrima illa secta, quae auctore Seneca, „male audit apud imperitos tamquam nimis dura", sed qua „nulla benignior leniorque est, nulla amantior hominum, et communibus bonis attentior" (de clem. l. 2. c. 5); quibus praemissis singulas, quas scripsit Persius satiras, ex argumentis stoicae doctrinae illustrare conabor.

CAPUT I.

CONSPECTUS RATIONIS STOICAE.

Aggredimur hoc caput praefati, haud facile esse stoicae philosophiae conspectum dare.

Non quod assectatorum vitae ac opera tenebris operta sint, immo nulla schola philosophorum stoicam superavit multitudine asseclarum, nulla latius pervagata est inter homines omnium ordinum et aetatum. Ne epicurea quidem gloriari potest se tot ac tantos habuisse, qui sibi adhaererent. Numquam fuit philosophandi ratio adeo insinuata in omnia hominum studia, adeo omnes artes disciplinasque amplexa, quibus uteretur, ut rerum causas atque eventus investigaret probaretque.

Quum Epicurei semper in verba magistri iurarent, nec quicquam, quod semel dictum ac ratum haberetur mutarent, Stoicos semper sua sibi placita ad hominum ingenia temporumque opportunitates accommodantes videmus, ut multorum delapsu seculorum Stoa recentibus identidem formis renasceretur, ubi vix rigidam illam veterum doctrinam agnoscas.

At vel sic tamen nulla Stoicorum scripta tota et integra ad nos pervenerunt; nihil habemus nisi fragmenta quaedam, placita, disputationes, controversias vel reiectiones, quae Cicero, Plutarchus, alii nobis prodiderunt; modicos profecto fontes ad doctrinam adeo late patentem et per tot annorum seriem continuatam pernoscendam.

Auctorum stoicorum solos Senecae et Epicteti libros habemus,

qui tempore recentiores sunt, quum doctrina non iam illibata esset, sed Peripateticorum et Academiae instituta nonnihil apud eam valerent, vel, si mavis, quum omnes fere philosophiae doctores ea de moribus et officiis praecepta amplecterentur, quibus, ex iustis rationibus mentis humanae petitis, summum bonum ac honestum omnibus aequaretur.

Quum vero Senecae scripta referta sint hac philosophia universali — ut ita dicam —, tamen nobis maximo usui sunt, ut, quae Stoici [1]) senserint scripserintque, perscrutemur.

Conspectum philosophiae stoicae e fragmentis ubique sine ordine diffusis et e multis commentariis exhibituris viam egregie munivit Lipsius, vir splendidissimae doctrinae a multis laudatus nec umquam satis. Hic vir, cui praenomen erat Justus, exeunte seculo XVI° in Belgia docens multa et excellentissima scripta edidit.

In „manuductione ad stoicam philosophiam" et in „physio logia" accuratissime et diligentissime primaria huius sectae principia enucleavit. Solebant illo tempore, quo Lipsius florebat, viri docti salva reverentia S^tae^ Ecclessiae debita, systema quoddam haereticae philosophiae amplecti. Profitebantur enim alii aliam philosophiam, stoicam, peripateticam, academicam.

Non mihi est propositum vitas ac mores singulorum huius sectae capitum vobis describere. Eos tantum locos attingam, qui ad universam Stoicorum rationem facere videantur, nam expressis verbis lectorem benevolum admoneo, ut meminisse velit, eos, qui primi systema stoicum excogitaverunt, nulla scripta reliquisse, neque — ut ex multis auctorum locis liquet — ubivis inter se consensisse. Quare disquisitio valde impeditur, eo magis, quod multa enunciata stoica esse perhibentur, quae nesciamus, cui huius scholae principi adscribenda sint. Desperandum inde est, fore ut umquam e fontibus eruatur, quae quisque Stoicorum placita excogitaverit, addiderit, repudiaverit. In eo acquiescendum, si ex indigesta fere mole ea collegerimus, quae non ab ingenio universae doctrinae abhorrere videantur. Constat apud antiquos nullam scholam et universam philosophiam et singulos eius partes tam accurate tractasse quam

Stoicos, quamquam negari non potest eos fecisse ut ad suum usum ac consilia nonnumquam res flecterent.

Stoicis philosophia est doctrina sive studium, quo iustam vitae rationem sive artem recte vivendi docemur. Quod plane abhorret ab Aristotelis instituto, quo primae partes purae ac merae rerum contemplationi tribuuntur, cui vitae actio subjungitur tantum, non imperat sed ministrat.

Ethica sive pars moralis igitur apud Stoicos est praecipua pars philosophiae, immo sola philosophia, ad quam defendendam et confirmandam ceterae partes, physica et logica appositae sunt. Multis imaginibus Stoici hoc expresserunt e. g.: *εἰκάζουσι γὰρ ζώῳ τὴν φιλοσοφίαν· ὀστοῖς μὲν καὶ νεύροις τὸν λογικὸν προσομοιοῦντες· τοῖς δὲ σαρκώδεσι, τὸ ἠθικόν· τῇ δὲ ψυχῇ, τὸ φυσικόν.* alia imagine: *εἰκάζουσιν ἀγρῷ παμφόρῳ· τὸν μὲν περιβεβλημένον φραγμὸν, τὸ λογικόν· τὸν δὲ καρπὸν, τὸ ἠθικόν· τὴν δὲ γῆν, ἢ τὰ δένδρα, τὸ φυσικόν.* Ita Diog. Laert. in vita Zenonis. Alia quoque comparatione adhibita: *Οἱ δὲ ὠῷ φασὶν αὐτὴν εἶναι παραπλήσιον· ἐῴκει γὰρ τῇ μὲν λεκίθῳ, ἥν τινες νεοττὸν ὑπάρχειν λέγουσι, τὰ ἠθικὰ, τῷ δὲ λευκῷ, ὃ δὴ τροφή ἐστι τῆς λεκίθου, τὰ φυσικὰ, τῷ δὲ ἔξωθεν ὀστρακώδει τὰ λογικὰ,* ut ait Sextus Empiricus (adv. Mathem. 18. 19). At vero Diogene Laertio auctore Zeno albumen comparavit cum ethica, vitellum cum physica, quod, annon fideliter exscriptum sit, dubitatur. Nec desunt aliae imagines, quas omittemus.

Quum igitur hanc rationem, quam singulae philosophiae partes invicem habent, intuemur, facile apparebit philosophiam esse studium, sive appetitionem virtutis. Monendum autem videtur notionem virtutis hic quodammodo deflectere a communi loquendi usu. Nam non contineri actionibus honestis constat; immo multo magis est status animi, unde actiones honestae procedunt. Hanc animi conditionem Stoici vocant rationem consummatam. Quum vero ad rationem hanc consummatam perveniri non possit — ita censent Stoici — sine doctrina, mens sola, quae augetur scientia, nomen virtutis sibi vindicare potest. Quum sapientia sive virtus ex eruditione scientia acquisita profluat, philosophia studium erit cognoscendarum omnium rerum tam divinarum quam humanarum. Ceterum mox magis mani-

festum erit, qualem Stoici virtutem intellegi velint. Quaevis doctrina de moribus habeat necesse est *unde* proficiscatur et *quo* tendat [2]). Carceres, unde proficiscuntur Stoici, iidem sunt, a quibus Aristoteles et Epicurus stadium ingrediuntur; hi omnes enim constituunt homines sibi quemque petere felicitatem [3]). At quid studentes inveniemus felicitatem? Quo igitur tendendum [4])? Ad hanc quaestionem respondendum ait Zeno: *Vive convenienter* [5]), h. e. vive ad unam aliquam normam sive praeceptum! Sit vita tua sine actionum dissensione; referat vita tua unum tamquam colorem. Omnes enim homines, quorum mores fluctuantur, quorum voluntas iactatur inter studium virtutis et amorem vitiorum, miseri sunt.

Talis ὁμολογία sive convenientia multa complectitur; nam haud credibile est hominem sine virtute omni in re καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν. Hoc enim indicium est vitae sine virtute: animum natare aliubi, atque aliubi apparere, prout tulit ventus, ut ait Seneca (ep. 35). Is solus, qui virtutem sibi ante oculos ponit, habet „tenorem vitae per omnia consonantem sibi". Is solus „agit unum hominem". (Vide Lips. man. l. II diss. 15. Cic. de fin. IV. 6. Cf. Pers. sat. III vs. 60—62).

Stoici tamen, qui sequuntur, putabant hanc Zenonis sententiam (ὁμολογουμένως ζῆν) parum sufficere. Cleanthes igitur supplebat dicens: vivendum esse ὁμολογουμένως τῇ φύσει. Jam scire refert, quo sensu vox naturae sit intellegenda. Planum et manifestum est hic non cogitandum esse de natura animantium, prout ventri ac lubidini parent. Natura Stoicis multo magis est quaedam lex et ratio, quibus totus mundus et partes eius a providentia reguntur; est recta ratio per omnia permeans; est — ut brevi dicam — deus ipse, ut postea videbimus [6]). Quicumque huic legi perfectae, huic vitae divinae submittere se vult, is profecto longe abest, ut libidinibus indulgeat. Quod fieri non potest nisi despectis atque contemptis rebus humanis; qui vult, quod Deus vult, sibimet ipsi temperare scit, sui compos est. Talis vita, quid est, nisi id quod Zeno intendit: „Vitam ad normam virtutis dirigere".

Etiam accuratius et artius „finem" sive „ultimum bonorum"

interpretatus est Chrysippus his verbis: vivendum esse κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων.

Haec definitio, quum haud discrepet cum iis, quas supra commemoravimus, evidentia tamen praestat. Quid igitur agendum? Operam dare debemus ut cognoscamus „naturam", h. e. deum, hominem, naturam rerum. Hoc studium nos docebit, quid sit bonum, quid malum, quid probabile, quid improbandum. Vivendum est nobis ad peritiam eorum, quae „natura" eveniunt. En iterum habes principium illud, quod nuper diximus: nullam virtutem posse cogitari sine „doctrina"; in omnibus igitur rebus, tam divinis quam humanis i. e. in „natura", quae apud Stoicos omnia amplectitur, rectam rationem, quae formatur doctrina i. e. philosophia, sufficere ad virtutem; virtutem igitur mutato nomine esse sapientiam. Hic necesse est ethicae physicam statim auxilio venire, ut haec illam doceat, qualis sit vita naturae sive dei, cui hominem studiosum virtutis parere oporteat. Postea, quum physica tractanda est, spectabimus, quae sit ratio inter deum sive naturam et hominem; nunc tamen monuisse sat erit ethicam Stoicorum a placitis ad mores spectantibus quorumlibet philosophorum eo differre, quod illi contendunt unum modo propositum esse, quo tendamus „virtutem". Haec una, haec sola est, ad quam cursus est dirigendus; iuxta se alterum finem non admittit Omnes praeterea aliae res, valetudo atque alia vitae commoda non digna sunt nomine „boni"; ea curare per veram sapientiam non licet. In sola virtute summum bonum est; ea sola beatos reddit; externa aut fortuita nihil nec addunt felicitati, nec inde demunt (οὔτε ὠφελεῖ, οὔτε βλάπτει). Haec omnia uno nomine vocabant Stoici „indifferentia" (ἀδιάφορα) [7]). At quaerit quispiam: quid? nihilne adeo interest inter optime valere et gravissime aegrotare, aut inter summam inopiam et omnium rerum copiam?

Si hoc neges — ita Stoici plerique censebant, quamquam quidam ex iis bonum solum petendum, malum fugiendum, cetera pro nihilo habenda esse statuebant — dignus sis, qui condaris in hospitio mente captorum; sine ullo dubio alter status alteri praeponendus est. Ad confirmanda ea, quae scribo,

allegabo Pyrrhonem (III. 24) scribentem: Stoici ex indifferentibus alia aiunt *προηγμένα* i. e. promota sive praeposita, alia *ἀποπροηγμένα* i. e. remota sive reiecta. Et illa esse, quae sufficientem habent dignitatem, ut sanitatem, divitias. Ista (reiecta), quae non habent sufficientem dignitatem, ut paupertatem, morbum. Neutra autem, ut est extendere digitum aut contrahere [8]). De discrimine inter *sumere* et *expetere*, *reiicere* et *fugere* conferatur Cic. de fin IV. 8 et 9 [9]). Paucis verbis ita res se habet: Stoici, quin etiam sapiens eorum consummatus *expetit, optat* bonum i e. virtutem, *fugit* malum; bipartit indifferentia, quorum *legit*, *sumit* commoda, *reiicit*, *secernit* incommoda sive reiecta. Quamquam Stoicus alias res externas aliis praefert, tamen non alias expetit, alias fugit. Sunt tantum indifferentia, ut verus sapiens — dico consummatum illum -- ne minimam quidem operam det illis expetendis vel fugiendis. Si contingant ei res secundae, agedum, utetur iis, ita ut ad vitam nihil pertineant; quod acceperit non referendum est in bona, nam unum tantum bonum est: virtus. Quodsi ei accidant res adversae, eas quoque accipiet aequo animo; nam res adversae non sunt mala, i. e. non oppositae sunt uni bono: virtuti. Tunc tantum, quum ei dabitur electio inter res secundas et adversas, illas praeponet, has postponet, dummodo ne prohibeant, quominus virtutem appetat. Omitto hoc loco divisiones et discrimina subtilia bonorum et adiaphororum, quae Lipsius diffuse et luce clarius edisserit in dissertatione 23ª et 24ª libri 2ⁱ manuductionis.

Talis animi status, quo utitur homo solum petens unum bonum i. e. virtutem, quum animus et mens omnino nullis rebus commoventur, nomen habet *apathiam* [10]). Haec vox proprie significat vacationem omnium affectuum; est igitur status perfectae temperantiae, quae omnes res sibi subjectas habet. Hunc igitur finem adepto Stoici nomen *sapientem* induunt, quum omnes, qui alia petunt praeter unam virtutem, nomen habeant *stultorum*. Quod homo, qui virtutem solum bonum agnoscit, sapiens vocatur, sequitur a notione ipsa, quam Stoici virtuti subiiciunt

Jam ante annotavimus virtutem eandem esse quam sapien-

tiam. Virtus — ita censent — est summa perfectio mentis et rationis. Quum sola perfectio acquiratur doctrina sive scientia, manat inde: virtutem esse sapientiam. Virtus igitur animi status est. Hoc effatum omnino habet quo sese commendet. Res acta enim, sive honesta sive turpis videtur, non fidem facit, ut ipse, qui peregit, aut homo honestus aut turpis sit. Id quod factum est, procedit quidem ex animi statu, sed dependet a tot rebus, ut nobis non liceat ex facto solo de persona agentis iudicium facere. Ille homo solus — ut nos censemus — dignus est, qui honestus audiat, cuius facta ex amore erga Deum et homines, igitur ex optimo animi statu manant. Quum igitur vulgus eo peccat, quod pro eventu rerum aut laudat aut vituperat, Stoici Charybdim evitantes in Scyllam incidunt. Non curabant facta; utrum bona essent necne, nil ad virtutem referre censebant. Sol, inquiunt, lumen et calorem dat; sed quum nubibus obscuratur, num putas eum minus luminis et caloris parere? Minime gentium, semper idem manet, etiamsi, minus abunde eius vim sentimus (cf. Sen. ep. 92).

Ita virtus sese habet ex opinione Stoicorum: ut actionibus ea non patefiat, animi status tamen, quo sapiens fruitur, nihilominus integer est. At nos contra contendimus: ut verum sit actionem per se animi statu non respecto, ex quo ea manavit, nullius pretii esse, ita verum esse, probum animi statum sine probis actionibus nihili aestimandum esse, vel potius cogitari non posse.

Ex utroque decreto „virtutem non summum, sed unum bonum esse" et „eam positam esse in animi statu, qui non curet actionem", sequuntur complura decreta, quae, nisi eorum vinculum, quo cum fundamentis doctrinae Stoicorum cohaerent, comtemplaris, tam mira sunt auditu, ut veteres, quin Stoici ipsi, iis nomen *paradoxa* indiderint. Quae Cicero et Seneca latine, hic *inopinata*, ille *mirabilia* vocitaverunt (cf. Lips. manud. lib III diss. 3—22, ubi ea effuse tractata invenies).

Non possum, quin primaria paradoxa commemorem, ut haec principia, unde tota doctrina de moribus pendet, magis perspicua reddam et paullo fusius dilatem.

Omnes sapientes i. e. omnes, qui virtutem possident, pares sunt. In virtute nulli sunt gradus, nec quisquam potest magis minusve probus esse. Hoc sequitur ex decreto „unum modo finem esse, quo tendamus; alia petentem peccare". Non relinquunt Stoici mediam quandam viam; virtuti aut omnibus viribus aut omnino non inservis. Qua in re congruunt cum christiana religione, quae praescribit, ut sequaris aut Deum aut mundum. Ut utrumque pariter colas, fieri non potest. Sapiens igitur totum se virtuti adjunxit. Non est ut praeter hanc alia quoque curet. Deinde eum virtutem non pro aliqua parte, sed sine ullo defectu integram possidere necesse est; sin minus, nondum sapiens est, sed alienis studiis deditus [11]. Qui sapit, perfecte sapit, qui non sapit, insipiens est; nihil est tertium. Non dantur gradus in sapientia et stultia; altera plane ex adverso alterius est. Siquis iacet in undis, parum refert, utrum sit in imo an prope superficiem; utrobique pariter mors eum manet. Ut in disciplinis mathematicis linea est aut recta aut non recta, ut est aut orbis aut non orbis, nec fingi potest linea parum recta vel circulus ad lineam rectam accedens, ita sapiens est absolute sapiens, stultus absolute stultus [12].

Attamen Stoici non negabant eum, qui prope superficiem natat, majorem habere spem ut servetur, quam eum, qui iam delatus est in imum. Hinc concedere cogebantur in stultitia saltem gradus quosdam admittendos esse, ut ex insipientibus alii aliis ad sapientiam propius starent. Ita Stoici moderabantur illi decreto „omnes stultos insanire, et omnia vitia in omnibus". Concedebant igitur esse genus quoddam medium. Huic generi sc. sapientiam appetentibus — de plane rudibus et imperitis non est quod loquar — nomen *proficientes* indiderunt, vel *procedentes*, tamquam in via iam progressos. (Vide Ciceronem percensentem decretum „sapientem plane oppositum esse stulto", de fin. IV. 9).

Quod minime quadrat in sapientem. Sapientia enim res perfecta est. Quidquid in se absolutum seu perfectum est, eius naturae nec quid insuper addi nec inde demi potest. Gradus igitur in sapientia non admittuntur. Nam, ut scribit Seneca

(ep. 79), „inter cetera hoc habet boni sapientia: nemo ab altero potest vinci, nisi dum adscenditur. Cum ad summum perveneris, paria sunt. Non est incremento locus, statur". Quum igitur talem sapientem interpretentur, non mirandum est nullum mortalem adhuc sapientiam assecutum esse. Ἔστι δὲ οὗτος οὐδαμοῦ γῆς, οὐδὲ γέγονεν. Omnes igitur homnes, qui hunc orbem terrarum iam incoluerunt et nunc incolunt, digni sunt, qui stulti vocentur; quamquam stultitia Socratium et Zenonum eiusmodi fuit, ut iam in vicina parte sapientiae staret.

Ne plura dicam, sapiens ille verus est species naturae humanae, qualem ad summum nobilitatis fastigium evectam philosophi secum animo cogitaverunt et e suae doctrinae praeceptis sibi finxerunt. Si quis sapientiam iam adeptus est, fieri non potest, ut sapientiam sive virtutem amittat et in stultitiam relabatur. Virtus enim est ingenii status doctrina formatus et auctus; est habitus optimae mentis. „Semel traditi boni perpetua possessio est, non dediscitur virtus" (Sen. ep. 50). Etiamsi sapiens id egerit, quod bonis moribus repugnet, status animi inde non immutatur, nam, ut supra iam vidimus, facta nil momenti afferunt aut ad virtutem aut ad vitium.

Fieri non poterat, quin ita concludentes aditum darent ad quaslibet actiones turpes et inhonestas; sapienti enim quidvis facere licet eorum, quae pertinent ad ἀδιάφορα sive indifferentia, quibus ex libero arbitrio uti ei concessum est.

Omnibus est notum, quod re perpetrata confirmaverunt Zeno atque Cleanthes, sapienti mortem sumere licere, etiam aliquando decere; nam mors et vita adaeque sunt in numero eorum, quae indifferentia habentur [13]). En habes, quae scribit Laertius inter decreta Zenoniana: Εὐλόγως τέ φασιν ἐξάξειν ἑαυτὸν τοῦ βίου τὸν σοφὸν, καὶ ὑπὲρ πατρίδος, καὶ ὑπὲρ φίλων. Κἂν ἐν σκληροτέρᾳ γένηται ἀλγηδόνι, ἢ πηρώσεσιν, ἢ νόσοις ἀνιάτοις. Multa huius generis documenta apud Lipsium (diss. 22 lib. 3 manud.) invenies. Nec hoc solum sed atrocissima quaeque facinora, prae verecundia silentio premenda, sapienti perpetrare concessum est, sed hac lege, ut nihil horum committat affectibus incitatus (cf. Diog. Laert. in vita Chrysippi c. 187—188; in vita Zenonis 121).

Quodsi qua faciat instigante affectu quodam, ratio eum non jam regat nec sapiens sit. Sin vero ratio suadeat ex adiaphoris vel turpissimum sumere, nil est quod eum inde deterreat. Ita sapienti quidvis perpetrare licet; omnia instituta legesque humanas despicit, quod peccare non potest. Quod scitum invenis apud Laertium in Zenonis vita, 123: 'Αναμαρτήτους τοὺς σοφοὺς τῷ ἀπεριπτώτους εἶναι ἁμαρτήματι; nam Stoici τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα τέλειον εἶναι λέγουσι διὰ τὸ μηδεμιᾶς ἀπολείπεσθαι ἀρετῆς (Stob. Electa). Sapiens semper ubique virtutem habet; virtus autem non dediscitur.

Hic iure laudari potest quod aiunt „Naturam expellas furca tamen usque recurret", cavitque fortuna generis humani ne umquam sapiens consummatus e mente Stoicorum lucem adspexerit. Omnes vero Stoici, qui inter stultos proximi a sapientia fuerunt, quantum accepimus, vitam sanctissimam atque castissimam degerunt.

Aliud inopinatum est „Virtutes omnes pares et individuas esse". Chrysippus ait: τὰς ἀρετὰς ἀκολουθεῖν ἀλλήλαις, οὐ μόνον τῷ τὸν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν, ἀλλὰ τῷ τὸν κατὰ μίαν ὁτιοῦν ἐνεργοῦντα κατὰ πάσας ἐνεργεῖν οὔτε ἄνδρα τέλειον εἶναι, τὸν μὴ πάσας ἔχοντα τὰς ἀρετὰς οὔτε πρᾶξιν τέλειαν, ἥτις οὐ κατὰ πάσας πράττεται τὰς ἀρετάς (cf. Diog. Laert. VII. 125). Haec sponte sequuntur e scito: virtutem non contineri actionibus, sed statu mentis eoque, quo solus sapiens gaudet. Actiones multae atque variae esse possunt: mens perfecta simplex et constans est. Una virtus est etsi multis insignita vocabulis" (cf. Sen. ep. 66; ep 113).

Iam pridem vidimus sapientem eo animi habitu gaudere, cui rebus externis nihil accedere, qui nullum inde detrimentum capere possit. Possessor virtutis igitur semper beatus est, unde paradoxon natum „sapientem vel in tormentis beatum esse". Quid M. Scaevola? Nonne eo animo fuisse videtur, ut, quum atrocissimis doloribus cruciaretur, summa tamen beatitudine frueretur? Sapiens, quum sibi conscius sit omnes animi motus subiectos esse rationi adeoque ab ea reprimi, ut nullo modo eius praecepta infringere valeant, fiduciam et voluptatem quandam animi persentit, quibus etiam in summis cruciatibus beatus sit. Quum necesse sit omnem animi motum seu affectum procul

a sapiente remotum esse, hoc loco paucis dispiciendum esse videtur, quid Stoici in genere de affectibus statuant [14]). Si verum est, quod vehementer contendunt omnes omnino affectus, quorum impulsu animi commoveantur, pravos esse, ne temperati quidem affectus boni esse possunt. Non proprii animi humani sunt — ita volunt — sed quodammodo morbi habentur (quodammodo aio, quod affectus non re vera sunt morbi, nam Seneca auctore sunt motus improbabiles, subiti et concitati; qui frequentes neglectique fecere morbum), quod ita intellegendum est: affectus non esse a natura, sed motus, quibus affectus nascantur, esse a phantasia rei bonae vel malae obiectae. Ex nostro arbitrio tamen pendet, utrum motus sequi velimus necne [15]). Si sequemur, ratio iam impotens sui fiet, cedet, deinde aegra fiet et postremo ipsa in affectum commutabitur [16]) (cf. Sen. de ira II, 4: „ut scias, quemadmodum incipiant affectus" cet.).

Ideo Stoici paradoxon professi sunt: omnia vitia paria esse [17]). Sicut virtus est animus sanus et consummatus, ita vitium est morbus animi. Peccatum non continetur facinore quodam, sed potius est ipse animi status in deterius conversi. Nihil igitur refert, quid peccati admittas. Ut omnes virtutes pares sunt, ita omnia peccata aequalia sunt.

Quoniam sapiens externa nulli curae habet, nihil ei praeter opinionem eveniet; nihil eum frustrabitur. Sapiens solus dives est; nam is solus novit rebus bene uti, praeterea nullis indiget. Is solus liber est et rex, nam scit sibi et aliis imperare. Sapiens par est deo, quin etiam deum superat; nam hic bonus est a natura, ille ab industria bonus est factus (Sen. ep. 53).

Haec fere summa est ethicae Stoicorum. Quodcumque de ea iudicium ferre placuerit, hanc ei laudem tribuere debemus, quod omni ex parte sibi constat et usque sequitur utrumque decretum, quo nititur totum systema: virtutem esse unum atque summum bonum, ad quod homo tendat, et nusquam apparere e rebus honeste actis, contineri autem habitu mentis optimae sapientiae praeceptis imbutae. Adeo sibi constat, ut hominum

sententias de rebus sive honestis sive turpibus nusquam reformidet.

In multos errores vitae usui perniciosos prolabatur necesse est, quicumque virtutem a bene maleve actis segregaverit. Virtus Stoicis mera sapientia est. Ut hodie quoque sunt, qui profiteantur sola fide, seu fide, quam aiunt, mortua hominum saluti optime provisum iri, ita philosophi illi suam sibi sapientiam iactantes sordidissima quaeque interdum admittebant. Nomine mutato eadem fabula agitur. Attamen, quum attendimus optime moratos inter Stoicos id sibi sanctum habuisse, ut res externas despicientes per moderationem et continentiam vitam agerent, profecto ea omnium rationum ethicarum summis laudibus prosequenda est, et Lipsii verbis assentiendum scribentis: „Divina Providentia, priusquam lucem sapientiae plenam, missa ipsa sapientia (i. e. Filio) nobis spargeret, hos tales praemisisse videtur, ut scintillas eius allucerent, et errorum vitiorumque cimmerias quasdam tenebras arcerent".

Si ethica est fructus, physica est arbor, quae fructum nutrit, eiusque vim vitalem sustinet. Scientiam autem, qua cognoscuntur deus, homo, ratio, quae inter hominem et naturam intercedit, physica tradit. Restant igitur loci quidam de moribus, qui desiderant, ut prius partem naturalem intueamur.

Omnes res, de quibus pars naturalis sive physica agit, sunt aut corpora aut res corpore carentes. Sed antequam de his disserere instituo, lectorem monitum volo incorporea in ratione stoica exiguum locum occupare; sunt: vacuum, locus, tempus, praedicatum (κατηγόρημα) sive id, quod de aliqua re enunciatur, ac talia.

Qua mente Stoici ea acceperint, quae corpora non sunt, parum liquet. Fontes plerumque non nisi meram enumerationem dant. De vacuo postea videndum est. Locum et tempus eas formas, quibus homo res sentit ac percipit, intellexisse videntur.

Quod attinet ad τὸ λεκτόν (κατηγόρημα, quod Romani verte-

runt effatum, enunciatum, edictum, praedicatum), Sextus Empiricus (adv. Math. VIII, II) ita fere interpretatur: res, quam dicendo indicas, corpus est, soni, quos indicandi causa edis, item corpora sunt, sed quae per hos sonos de aliqua re dicuntur, non corpora sunt. Argumentum huius rei praebent peregrini, qui ignari nostrae linguae, sonos quidem audiunt, sed non intellegunt, quid sibi velint hi soni (cf. Sen. ep. 117). Ceterum non solum deus et animus sed etiam ea, quae propria habent singulae res, virtutes, vitia, imo partes temporis, ut nox, dies, utriusque particulae, sunt corpora, quin etiam auctore Seneca (ep. 113) sunt animalia (animantia). Hinc Stoici non poterant, quin crederent quodvis corpus complura praeterea corpora in se continere; quot cuique rei propria sint, tot esse in ea corpora. Hanc ob rem necesse erat Stoicos infitias ire materiam esse impenetrabilem; quod usurpari mox videbimus, quum agendum erit de deo.

Corpora autem Stoici interpretati sunt, quidquid gignit motionem. Quidcumque est, originem ducit a duobus corporibus: a deo et materia, sive principio formali et materiali [18]. Haec principia ita inter se opposita sunt, ut alterum sine altero esse nequeat. Ut principium efficiens (causa sive deus) indiget aliqua re, quam moveat, ita materia „res, quae iners iacet, ad omnia parata, cessatura, si nemo moveat" indiget a quo moveatur.

Quid Stoici senserint de deo et de ratione, quae intercedit inter deum et materiam, non luculenter patet e testimoniis auctorum. Quod alii alia tradiderunt huic rei imprimis imputandum esse censeo, quod veteres non tam acute quam hodierni videbant in discernendis multis, quos Pantheismus refert, coloribus.

Si in memoriam revocamus hoc placitum Stoicorum „nullam vim movendi esse, quae non prodeat e corpore", necesse est deum, summum principium, a quo materia iners movetur et in admirabilem rerum naturae speciem redigitur, et ipsum corpus esse. Quodsi deus corpus est, e materia quadam constet necesse est. Qualis erit haec materia corporis divini? Requiritur talis materia, quae una omnium eam vim habeat, ut

omnia permeet, et iis se misceat [19]). Hanc materiam corporis divini Stoici *aethera* censebant esse

Et rem et nomen sibi assumserunt ab Aristotele, qui praeter quatuor elementa unam materiam, subtiliorem, leviorem, penetrabiliorem finxerat, quintam οὐσίαν, quam medio aevo quintessentiam vocitabant. Hanc materiam in suum usum converterunt Stoici. Inde dei corpus, omnia pervagans, vim vitalem infundens, formas impertiens sibi efficiebant Ille aether sive deus, ibi tantum purus, lucidus, tenuissimus, mobilitate vigens obvius est, ubi nondum materiae se admiscuit, igitur in remotissimis regionibus universi, extra orbem quatuor elementorum, unde per omnia elementa, per universa penetrat. Ille aether igitur in nobis omnibus, in omnibus animalibus atque plantis, denique in toto universo magis minusve purus inest; sed ubicumque est, ibi est vita. Ita animus universi, noster animus, animus animalium, vis vitalis plantarum est aether. Deus igitur omnibus rebus insitus est, est „vita" in natura. Sicubi aeterna illa vis gignendi deficeret, res formam et quae sibi propria habet, amitteret, in materiam inertem, formarum et virtutum exsortem, unde olim omnia orta sunt, recideret.

Hanc ob rem Stoici deum principium rationale in materia sive rationem vocabant (cf. Diog Laert. VII. 134); potuerunt dicere vim genetricem in materia.

Ita deus etiam natura sive communis natura appellatur, quoad natura vis vitalis in materia est. Item mundus vocatur, quia universum aedificium est, ad quod faciendum materia informis et virtutis expers adhibita est.

Aether maximam similitudinem ignis prae se fert, quare Posidonius (Stob. ecl. 1. p. 312) deum vocat spiritum intellegentem et igneum, ipsum formam non habentem, sed in omnia se vertentem et omnibus se assimilantem; quo etiam rectius nescio quis dixit: deum esse spiritum per totum mundum penetrantem (Plut. de plac. phil. I. 7). Quum deus per omnes mundi partes diffusus sit, quippe qui sit materia, quae per omnes materias permeat, nulla autem ne minima quidem universi particula deo careat, mundus animans habendus est; re vera

dei corporis pars fit, sive potius mundus est corpus, quo deus conspicuus est seseque manifestat, sicut corpus nostrum animi instrumentum est.

Quid autem nominis divinitati tribuas, parum refert. Vis eam providentiam vocare? non falleris. Ubique enim adest, totum universum eiusque partes singulas, vel minimas regit [20]). Voca eam fatum; recte dixeris. Nam ita est fatum, quatenus est lex immutabilis atque inviolata, qua omnia fiunt, quaecumque fiunt, sicut fiunt nec aliter, ab initio ad finem usque. Tum fatum idem est, quae providentia; deus, utpote qui summa mens seu ratio est, non nisi perfectam legem dare potuit. Quae si mutari posset, non perfecta esset; ideo est illa ex omni aeternitate naturae rerum imposita necessitas. Ita senserunt veteres, quum autumarent deum vel deos fato subiectos esse. Deus enim non nisi perfecte agere potest. Postremo, si naturae divinae, quaecumqne nomina dii deaeque habent, indideris, nullo modo tamen peccaveris. Nam quot sunt nomina, tot sunt munera vel propriae virtutes unius dei (Diog. Laert. l. l. 147)[21]).

Substantia sive natura dei magis manifesta fiet, si eam spectaverimus iuxta alteram naturam, quae principium patiens sive materia est, sine qua deus, quippe qui sit corpus eius efficiens, non magis esse potest, quam materia sine deo sive vi, qua rerum natura sustentatur. In utroque utrumque, ut Cicero ait. Qua de causa operae pretium est audire, quae Stoici de origine mundi tradunt [22]). Legimus apud Diogenem Laertium (l. l. § 136) ab omni aeternitate duo esse principia: deum, sive aethera illum purum, cui nihil materiae admistum est, et materiam. Cavendum autem ne hanc nobis fingamus elementum concretum, sive commixtionem omnium elementorum. Est re vera principium abstractum sensuum perceptionem fugiens, formis carens, et propter id ipsum idoneum, quod in quasvis formas vertatur.

Hic monendum videtur principia et elementa inter se differre; nam haec formas habent et in universi conflagratione (de qua postea videbimus) interitura sunt, illa geniturae et corruptionis expertia, corpora quidem sunt sed ea sine formis. Aether igi-

tur et hoc principium abstractum, quoad non iam coaluerunt, intellegenda sunt inertia; nam, ut supra vidimus, materia, unde mundus constat, id ipsum est, quo deus speciem sensibus obviam sibi induit; materia autem a deo seiuncta, moles iners, mortua erat. Tum — ita Diogenes pergit — deus molem istam invadens ac penetrans materiam primum in aera, deinde in aquam convertit. Humidum elementum enim maxime idoneum erat, quod aethera vivificantem conciperet, secum retineret, propagaret per totam rerum naturam. Hic est maxime celebratus ille Stoicorum σπερματικὸς λόγος, qui, quum dicis principium rationale, τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου vocatur.

Aethera igitur per aquam discurrentem rationem esse, unde omnes res velut ex semine gignuntur, hoc fere sibi vult: deum esse animum in animantibus, vitam in natura, sicut in semine humi condito, etsi nondum pullulavit, iam quicquid futurae herbae habebunt virtutum, latet. Ita aether in humorem immersus velut semen est involvens germina omnium rerum, quae umquam oriturae sunt. Est etiam causa mente praedita, quae e certis legibus, quas ipsa constituit, et vim fati habentibus ordinem mutationum quum in mundo tum in singulis partibus evolvit (Plut. de plac. phil. 1. 7). Materia igitur, quae adhuc iners iacebat, viva facta est; nam animus eam pervaserat. Quam cum aethere coniunctam secundum certam legem se in omnia mutare necesse erat. Ita mundus factus est deus, quia etiam minimae particulae deo imbutae erant, unde progressio mundi dici potest modus, quo deus ipse ex natura abstracta ad concretam procedit. Primus gradus huius quam ita dicam evolutionis erat ortus quatuor elementorum, ignis, aeris, aquae, terrae, quae, quum principium vitale concepissent, suo quidque tempore eam varietatem vitarum, qua mundus refertus est, progenuerunt.

Non totus tamen aether materiae se miscuit. Pars eius pura in extremo circuitu mundi, qui globi formam habet nec infinitus est, remansit; ut deus Stoicorum formae globosae esse perhiberi possit.

Quum aether, quamquam per omnes mundi partes dispersus,

non nisi in extremo huius orbe purus sit, summus ille mundi circuitus dei propria sedes est. Ubicumque est aether, ibi est vita. Hinc spatium, quod orbem aeris circumdat, suis sibi animantibus non caret. In summis regionibus, ubi aether est purissimus, igitur ab extremo caeli circuitu usque ad lunae gyrum, sidera et stellae versantur, quae ex aethere puro facta et ipsa naturam divinam habent. Regio infra lunam usque ad orbem aeris sedes est heroum vel animarum sapientium, qui supremum diem obierunt, larium, in quorum tutela sunt domus et urbes, geniorum [23]), qui sunt patroni sive dii tutelares hominum. (Vide Augustini de civ. Dei VII. 6, ubi locus citatur Varronis Stoici romani; cf. Lips. phys. Stoic. 1. 18).

Omnes hae animae naturam humanam longe superantes et propius ad divinam accedentes, quam sortem nobis fatum ordinaverit, norunt et vim ac potestatem habent monendi nos somniis, signis, portentis, quidquid denique est quo futura indicantur [24]). Imprimis statio stellarum et earum motus arcte connexa sunt cum fati decretis. Ars documenta caelestia interpretandi, divinatio — astrologiam recentiores vocitant — Stoicis summo honore habebatur [25]). At non ea est vis siderum geniorumque, ut quicquam nostrae sortis mutare valeant; nam fatum Chrysippus (apud Aul. Gell. noct. att.) ita definit: *Εἱμαρμένην εἶναι φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων, ἐξ αἰδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολοθούντων ἀμεταβόλου καὶ ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συγπλοκῆς.*

Quum vero multo longius quam nos futura provideant, monitis eorum homines sibi cavere ac consulere invitantur. (Vide Sen. ep. 88; cf. tamen Sen. ad Marc. c. 18; Sen. quaest. nat. II. 32. Quo sensu nos dicimus, res exponitur a Balbo Stoico ap. Cic. nat. deor. II. 4. Nec neglenda Lipsii diss. 14 lib. 2 phys.)

Post aethera, quem licet non eundem tamen ad similitudinem ignis Stoici finxisse videntur, hoc ordine elementa sibi succedunt. Primus venit aer, qui est aether minus purus et mixtio utriusque elementi (Diog. Laert. VII. 137); aerem excipit aqua. Tertia sequitur terra. Totus hic mundus sive deus libratur in vacuo, quod infinitum est et illum undique circumdat (Diog.

Laert. VII. 140). Iam videbimus, quo consilio hoc vacuum ponatur. Tradunt enim Stoici post certum tempus a fato constitutum, quum omnia signa coelestia redierint ad locum, unde primum cursum instituerint, totius mundi conflagrationem fore. Tunc ignis omnia, quae sunt, arripiet, comburet, purgabit, omnem vim vitalem in natura in aethera purum resolvet, verbo totum mundum in formam pristinam, quae ante eius originem erat, igitur in aethera et materiam inertem, rediget. Ad hanc exustionem opus est vacuo, quod ea, quae nunc mixta sunt, dissoluta locum multo maiorem occupabunt. Deinde fiet renovatio mundi, i. e. deus aevum suae vitae aeternae ordietur. Qui mundus redintegratus ex omni parte huic mundo similis erit (Nemesius Emes. de nat. hom. c. 38). Ita dei vita perpetua serie originum et transformationum suae ipsius naturae materia commixta continetur.

Mundus, quum sit processus, quo ipsa divina natura evolvitur, non nisi pulcherrimus esse potest. Et partes et totum perfecta et bene ordinata sunt. Diffuse haec tractat Cicero (de nat. deor lib. II. c. 36—61, quae videas). Idem ibidem ait: „nihil omnium rerum melius est mundo, nihil praestabilius, nihil pulchrius; nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest". Et paulo infra: „Omnia ita constituta sunt, ut neque ad usum meliora esse potuerint, neque ad speciem pulchriora". Mundum igitur comparare possis cum machina quadam, cuius rotae dentatae per aptissimas commissuras motum propagant, donec perveniatur ad summum rerum finem, qui est homo. Ad huius usum et voluptatem omnia deinceps comparata sunt, nec temere vero, nam certa lege et consilio res suam quaeque nec aliam formam et finem habent; ita herbae animalium, haec hominum causa creata sunt. Nam Stoici per fas ac nefas eam rationem tuebantur, quam recentiores teleologiam appellant, cuius pertinaciae multa exempla invenies apud Ciceronem (de nat deor. c 62 sqq).

Omnia in mundo in usum hominis destinata, ipsum mundum insigne opus esse, quo divina natura virtutes suas conspicuas reddat, iam satis superque ostendimus. Stoicis, qui

summo opere contendebant mundum omni numero perfectum et sine vitio esse, ultro quaerendum fuit, quid esset malum, et quo modo posset convenire cum illa mundi ratione consummata, et dei omnipraesentia, quae eadem est ac vis vitalis in omnibus materiae partibus. Num deus creator mali, num malum pars ipsius naturae esse potest? Quantum ad mala naturae, herbas venenatas, bestias hominem infestantes, morbos, vitia corporis, alia, haec omnia mala esse negabant. Concedebant quidem haec seorsum spectata mala videri, si vero in concursu universitatis rerum habeantur, omnino ad perfectionem mundi facere (Plut. de Stoic. rep. 44). Immo universum, ideo ut ex omni parte absolutum et perfectum praedicetur, cunctos ordines eorum, quae umquam exsistere possunt, inde a perfectissimis ad vitiosissimos usque exhibeat necesse esse. Ut comediae versus stultos habeant, qui ipsi quidem mali sint, sed totius fabulae pulchritudinem augeant, ita malum ipsum vituperari posse, sed universo haud inutile esse (Plut. de Stoic. rep. 37, adv. Stoic. 14). Sed quaestio de malo, quod in hominum moribus est sive de malo morali, quod dicitur, multo difficilior est, cui respondeatur. Nam hoc malum vix ita accipi potest, ut conferat ad perficiendum universum et pertineat ad dei vitam, quae in nobis est.

Stoici igitur vel invita ipsorum ratione eo confugere coacti erant homini liberam esse voluntatem [26]). Nostra vita enim ipsius dei vita est, quicquid volumus, agimus deus in nobis vult agitque. Deus autem ex aeterna et perfecta fati lege, quae est perpetua series causarum et effectuum, vivit agitque. Quodsi male a nobis facta et quicquid faciororum perpetramus in perfecta lege fati posita sint, non peccabimus igitur; numne secus facere potuimus?

Hac difficultate Chrysippus (Aul. Gell. noct. att. VI. 2) se liberavit dicens ingenium atque indolem nostram tantum a fati lege ita destinata esse, ut alii nati sint ad virtutem, alii ad vitium Quod tamen non prohibeat, quominus modus, quo quisque natura sua in bonam aut in malam partem utitur, a libero arbitrio pendeat Qua defensione si crimen fati excu-

setur, mens illa divina tamen, quae et in mundo et in nobis est, aegre inde salva evadat.

Iam omittamus hunc locum obscuriorem, ut nos convertamus ad aliam philosophiae partem, psychologiam. Ex iis, quae de psychologia Stoicorum tradita habemus, constat eos discernere *ψυχὴν ἄλογον* et *ψυχὴν λογικόν*. Est illa anima sive vis vitalis; haec est anima rationalis, animus sive mens, quem eandem appellasse videntur *τὸ ἡγεμονικὸν*, *λογιστικὸν*, *διάνοιαν*, principale (Seneca), principatum (Cic.); utrumque expressis verbis distinguit Plutarchus (de plac. phil. IV. 4). Sedes *τοῦ ἡγεμονικοῦ* in corde est (cf. Diog. Laert. VII. 159: *ἡγεμονικὸν δὲ εἶναι τὸ κυριώτατον τῆς ψυχῆς, ἐν ᾧ αἱ φαντασίαι καὶ αἱ ὁρμαὶ γίγνονται, καὶ ὅθεν ὁ λόγος ἀναπέμπεται. ὅπερ εἶναι ἐν καρδίᾳ*. Plut. de plac. phil. 5). Statuunt igitur duos simul in eodem homine animos esse. Horum alterum *ἄλογον*, qui nobis cum bestiis communis sit, per procreationem a parentibus tradi, una cum corpore, quod ab eo alatur et moveatur, crescere ac virtutes suas explicare. Alterum vero, *λογικὸν*, *διάνοιαν*, non propagatione tradi sed extrinsecus sive ante sive post partum nascentibus in corpus insinuari (Lips. diss. VII lib. III phys.). Sed aliis aliter visum est.

Iam videamus, quomodo haec cum doctrina de aethere, quam exposuimus, congruant.

Iam monuimus aethera partim purum neque aliis elementis admistum in summis mundi regionibus relictum esse, partim utpote animam mundi materiae misceri, cuius partes vel minimas pervadat.

Anima sive vis animalis, quae corpus sustentat, sensus et motus efficit, est vita in materia sive aether, quoad materiae infusa est, — hanc animam, quum sit animi mundi pars, ex materia in materiam propagari, a procreantibus partui tradi necesse est. Hic aether in materiam demersus non ea puritate aut iis virtutibus esse potest, quibus ille, qui incorruptus et integer in summa mundi regione habitat. Animus mundi vitam sustentare, motus corporis regere, quicquid natura postulat, suppeditare valet; ad mentem sive facultatem cogitandi impertiendam non sufficit. Hanc ob rem Stoici mentem sive animi

partem imperantem vel cogitantem, quod hominis solius proprium est, ex ipso aethere puro et non commisto in hominem descendere putant. Itaque ratio divinum ipsum e divino ipso in nobis est, quum vis animalis et anima vitalis, quamquam etiam divinae sunt, quod deus per omnem materiam penetrat, tamen non mere divinae sint, sed eodem pacto ac animus mundi, qui deus sive aether cum materia coniunctus est, minus purae, minus praestantes [27]).

Ceterum, quae nobis tradita sunt de animi facultatum divisione apud Stoicos, minime inter se conveniunt. (Vide enumerationem apud Lips. l. III. diss. 16—17, phys.)

Divisio, quae maxime venit in usum, est in octo facultates sive gradus. Sunt quinque sensus, facultas loquendi, facultas procreandi, pars imperans sive ratio [28]). Stoici, quamquam animum ita dividebant et — ut iam supra commemoravimus — partem imperantem a septem illis ita distinguebant, ut illam animum, has animam vocarent, admodum tamen perseverabant in unitate animi, ut omnes has divisiones ne partes quidem vocare vellent, sed modos tantum, quibus pars animi rationalis appareat. Ita sensus videndi est aether, qui a parte imperante animi ad oculum pertinet (Plut. de plac. phil. IV. 21). Eodem modo ceteri sensus sese habent. Haec animi unitas nulla parte obloquitur decretis, quae antea diximus: animam vitalem gigni e materia, quacum quandoque commista sit, animum autem (mentem sive rationem) nasci ex aethere puro. Re rite perpensa et anima et mens utraque aether est sive pars dei. Deus, qui forma aether purus supra nostrum orbem habitat, eadem natura divina est ac aether, qui materiae se miscuit Utraque igitur nostri animi pars ex eiusdem divinae naturae partibus prodiit; hanc ob rem et animus et anima in unum congrui possunt; ideo quoque aether purus, quippe qui ortus est ex nobiliore dei parte, imperabit alteri nostri parti, quae, licet arctissime cum materia coniuncta, tamen et ipsa divinae naturae est. Quodsi quaeras, sitne animus noster immortalis, reputanti eum partim ex aethere puro partim ex animo mundi desumptum esse, obvium erit respondisse ob id ipsum eum in communi mundi

conflagratione idem passurum, quod cum totum mundum tum singulas huius partes, nimirum et animos nostros aliquando solutum iri in aethera purum sive in deum et redituros ad fontem, unde quicquid aetheris est originem duxit. Negant igitur Stoici singulos animos per se ac perpetuo permansuros esse. Attamen quaeritur, quid et ubi acturi sint animi per medium tempus inde a morte usque ad conflagrationem mundi. Respondent Stoici animos in ea universi regione permansuros, in qua, ut cuiusque sit natura magis minusve pura, versari detur. Animi igitur stultorum circa regiones terrestres volitant, quum sapientibus concessum est, regione aeris permeata, aetheri puro, naturae simili propius accedant (Cic. Tusc. 1. 18. sqq.).

Deinde Stoici statuunt, animum permanentem in aethere et in aere, antequam mundi conflagratione in deum dissolvatur, purificari et emendari. Itaque Stoici credunt animum post mortem porro erudiri et proficere. Expressis verbis hoc censet Seneca, cuius locos laudat Lipsius (phys. III. 14). Ex fundamento physiologiae stoicae „animum humanum partem esse animi mundi sive divinae naturae, et eius solum finem esse, ut aliquando cum deo se coniungat, et totus cum eo coalescat' optime illustratur contemptio illa rerum humanarum, qua ethica stoica penitus imbuta est. Nec mente, nec animo, nec corpore aliud valemus nisi prout partes et membra magni corporis divini, qui est ipse mundus vivus. Ut membris nostri corporis non est sua sibi vita, non suum arbitrium, ita nobis tamquam membris corporis divini hoc solum munus datum est, ut illi inserviamus.

Priusquam huic capiti finem imponimus, superest ut tertiam partem philosophiae stoicae obiter tangamus. Logices munus est ut, tamquam testa ovum vel saeptum pomarium, ita ceteras partes nobiliores, physicam et ethicam contra hostium iniurias et impetus tueatur.

Primores inter Stoicos, Chrysippum prae aliis, impensius huic philosophiae parti operam dedisse nemo nescit vel e specimi-

nibus fallacium syllogismorum, quae multa feruntur nec memorare operae pretium est. Nam argutiae, quae in scholis exercitii causa proponebantur, ut auditores per absurdissima quaeque exempla vera a falsis dinoscerent, perinde ad memoriam posteritatatis pervenere ac si summi doctores rabiosi nugatores fuissent. Hoc satis constat eos disciplinam syllogismorum ab Aristotele traditam magnopere excoluisse ac diligenter elaborasse. Syllogismus ea ratio ac via est, qua e iudicio generali, quod aiunt, concluditur ad iudicium particulare adhibitis terminis maiore et minore. Id, quod in minore contenditur verum esse efficitur e supposita veritate termini maioris, sive quod in genere verum est, idem de particulari valet. Cardo, quo tota res vertitur, hac quaestione continetur, quomodo mens humana illas notiones generales seu communes (κοινὰς προλήψεις, ἐννοίας) primum conceperit, ut eas veras agnoscat; locus ab Aristotele omissus. E Stoicorum sententia hae notiones colliguntur e mera sensuum perceptione, e mundo externo igitur, cui nihil ex animo nostro addatur. Hunc igitur conferre licet cum tabula rasa, in qua quicquid ab externo datur sponte inscribitur (Plut. de plac phil. IV. 11) vel cum cera, in qua quaelibet signa exprimuntur (Sext. Emp. adv. math. VII. 228). Eaedem perceptiones frequenter redeuntes ope memoriae in animo retinentur et colliguntur. Hinc κοιναὶ προλήψεις. Ex his eae verae et extra omne dubium positae habentur, quibus animus sponte ac libenter assentitur (φαντασία καταληπτική, Sex. Emp. adv. math. VII. 257). Ita fere Stoici. Logicae Stoici adnumerabant studium grammaticae et rhetoricae, ut quod quis verum meditatus est, apta oratione et ornatis sententiis proferatur. Logica ita tripartita instrumentum est, quod validissimum praesidium philosophiae affert.

CAPUT II.

AD SATIRAM II.

Argumentum huius satirae est, quoad spectat ad Stoam, vota vulgi spernenda, superstitionem damnandam, deos pie colendos esse. Quomodo ex mente Stoicorum dii precandi venerandique sint, haec satira et ea, quae singulis versibus annotavi, edoceant. (Cf. sat. X Juv.)

Vs. 3. *Funde merum genio.* Stoici, ut omnes fere antiqui, genios esse credebant; quorum munera et natura quae fuerint ex his locis citatis appareat:

Diog. Laert. VII. 151: *Φασὶ δ' εἶναι καὶ τινας δαίμονας ἀνθρώπων συμπάθειαν ἔχοντας, ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων· καὶ ἥρωας, τὰς ὑπολελειμμένας τῶν σπουδαίων ψυχάς.*

Epict. ap. Arr. I. 14: *ἀλλ' οὖν οὐδὲν ἧττον καὶ ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε* (sc. *ὁ Ζεύς*) *τὸν ἑκάστου δαίμονα καὶ παρέδωκε φυλάττειν αὐτὸν αὐτῷ, καὶ τοῦτον ἀκοίμητον καὶ ἀπαραλόγιστον· τίνι γὰρ ἄλλῳ κρείττονι καὶ ἐπιμελεστέρῳ φύλακι παραδέδωκεν ἡμῶν ἕκαστον; ὥσθ' ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότον ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν ὅτι μόνοι ἐστέ ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστὶ, καὶ ὁ ὑμέτερος δαίμων ἐστί κ.τ.λ.*

Senec. ep. 3: Sepone in praesentia, quae quibusdam placent: unicuique nostrum paedagogum dari deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae, ex eorum numero, quos Ovidius ait „de plebe deos". Ita tamen hoc seponas volo, ut memineris maiores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse; singulis enim genium et Junonem dederunt. (Illum sc. viris hanc feminis.)

Ex his patet genios esse patronos, qui hominibus ad tutelam dati sunt. Sed et malos fuisse genios inveni apud Plutarch. de de defectu orac. 17: *'Αλλὰ φαύλους μὲν δαίμονας οὐκ 'Εμπεδοκλῆς μόνον ἀπέλιπεν, ἀλλὰ καὶ Πλάτων καὶ Ξενοκράτης καὶ Χ ρ ύ σ ι π π ο ς.*

Plut. de rep. Stoic. 37: ἢ διὰ τὸ καθίστασθαι ἐπὶ τῶν τοιούτων δαιμόνια φαῦλα, ἐν οἷς τῷ ὄντι γίγνονται καὶ ἐγκλητέαι ἀμέλειαι; κ.τ.λ. τὸ δὲ φαύλους δαίμονας ἐκ προνοίας ἐπὶ τὰς τοιαύτας ἐπιστησίας καθίστασθαι, πῶς οὐκ ἔστιν ἔγκλημα τοῦ θεοῦ.

Eorum naturam nos docet Plut. plac. phil. I. 8: Θαλῆς, Πυθαγόρας, Πλάτων, οἱ Στωικοὶ, δαίμονας ὑπάρχειν οὐσίας ψυχικάς, quod vertit Lipsius „substantias animatas, i. e. animae in materie similes, usu et fine distantes". Cf. 16/17 huius diss.

Eos infra lunam et supra aera versari iam ante vidimus. Cf. pag. 17 h. diss.

Genios quotannis die natali celebrari omnibus notum est. Qui pluscula de geniis scire cupit, inspiciat Lipsii phys. l. I diss. 19, 20, ubi ingentem copiam locorum inveniet. Plerique tamen scriptorum, quos commemorat Lipsius, non sunt Stoici, sed ei pro stoico sensu scripsisse videntur. Dubitandum mihi videtur, annon vox genii, quam Persius commemorat in versibus 3 sat. III, 27 sat. IV, 151 sat. V, 19 ac 48 sat. VI, stoico sensu intellegenda sit. Multo magis credo hos locos laudatos, quamquam non alieni sunt a doctrina stoica, e vita communi sumptos esse.

Vs. 3. *Non tu prece poscis emaci* cet. usque ad vm. 23: *At sese non clamet Juppiter ipse.* Ingentam copiam sententiarum, quae plane idem, quod versus citati, significant, nobis praebet Seneca, e. g. ep. 10: Votorum tuorum veterum licet diis gratiam facias: alia de integro suscipe; roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu ista vota saepe facias? Audacter deum roga, nil illum de alieno rogaturus. Sed ut more meo cum aliquo munusculo epistolam mittam, verum est quod apud Athenodorum inveni: Tunc scito te esse omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum? turpissima vota diis insusurrant: siquis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, deo narrant. Vide ergo ne hoc praecipi salubriter possit: sic vive cum hominibus, tam-

quam deus videat; sic loquere cum deo, tamquam homines audiant.

Quae paucis verbis dat Macrobius (saturn. 1): Praeceptum est philosophiae: sic loquendum esse cum hominibus, tamquam dii audiant; sic cum diis, tamquam homines audiant.

Haec Senecae verba vim atque sententiam horum XXI versuum totam et integram reddunt; quorum quosdam cum aliis locis, quos passim e Seneca collegi, conferre haud inutile mihi videtur, e. g.:

Sen. de benef. VI. 38. in fine: Quam multa sunt vota, quae etiam sibi fateri pudet! quam pauca, quae facere coram teste possimus!

Sen. de benef. II. 1. in fine: Vota homines parcius facerent, si palam facienda essent. Adeo etiam deos, quibus honestissime supplicamus, tacite malumus et intra nosmet ipsos precari.

Persona, quam inducit Persius in versu 8°., precibus aperte editis *bonam mentem* rogat, quod lingua Stoica significat *rectam* sive *perfectam rationem;* quam quemquam a deo petere comprobat Seneca in ep. 20, improbat in ep. 41, quum scribit: Facis rem optimam, si perseveras ire ad bonam mentem, quam stultum est optare, cum possis a te impetare. Non sunt ad coelum elevandae manus, nec exorandus aedituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat: prope est a te deus, tecum est, intus est.

Stoici enim censebant a cuiusque ipsius voluntate dependere, utrum bonus esse velit necne. Cf. pag. 11 h. d. ad [15]). Ad versum 40 de his diffusius loquar.

Simulat igitur ille nequissimus pium et rectum hominem, sed quis sit verus eius animi status, ex versibus 9—14 apparet, quibus poeta vota in intimo pectore recondita in lucem profert. O! illum pessimum, qui vota tam absurda, tam nequam foveat et deo ipsi credat; qui divitiis ac talibus, quae res externae sunt, se felicem fore existimet! „Quid enim est praecipuum: non admittere in animum mala consilia, puras ad caelum manus tollere, nullum petere bonum, quod, ut ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis amittere: optare, quod sine adversario

optatur, *bonam mentem:* cetera magno aestimata mortalibus, etiam siquis domum casus attulerit, sic intueri, quasi exitura, qua venerint". Haec Seneca in praefatione quaest. nat. libri III scripsit, quibus adjungere potes: „Quid votis opus est? fac te ipsum felicem; facies autem, si intellexeris bona esse, quibus admista est virtus: turpia, quibus malitia conjuncta est" (Sen. ep. 31).

Proximis versibus (15—17) Persius notat eundem stultum, qui putat se nocturna insomnia et malas, quas nocte concepit, cogitationes posse expiare, et sperat fore ut votorum, quamvis impiorum, compos fiat, dummodo ritum exteriorem observet. Hunc non verum deorum cultum esse, nemo non facile intelligit; „cultus autem deorum est optimus idemque castissimus atque sanctissimus plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra incorrupta et mente et voce veneremur. Non enim philosophi solum, verum etiam maiores nostri superstitionem a religione seperaverunt".

Ita scripsit Cicero (de nat. deor. II. 28), qui haud dubie paratus esset subscribere verbis Senecae, si legisset: „Superstitio error insanus est, amandos timet, quos colit, violat" (Sen. ep. ult.) et „Vis Deos propitiari? bonus esto. Satis illos colit, quisquis imitatus est" (Sen. ep. 95).

Versibus 17—28 rogat Persius stultum, quem depingit: „Qualem Iovem esse existimas? Estne talis, ut eum Staio (nequissimo cuidam viro) praeponas? Num dubitas, uter horum melior sit iudex, uter rebus puerorum orborum melius consulat. Nonne Iovem illi anteponis, quippe qui sit omnium curator, et omnia, quae futura sunt, noverit?"

Hic attingit poeta *providentiam*, quam Epicurei vehentissime allatrabant professi „*οὐκ εἶναι πρόνοιαν*".

Omitto nunc providentiam, qua deus totum mundum gubernat et administrat [29]); quum poeta in versu 20 *τὴν πρόνοιαν ἰδίᾳ* significet, exempla nonnulla afferam, quibus patet deum non solum hominibus sed etiam omnibus animalibus providere. Sunt: Cic. Acad. IV: „Stoici dei maiestatem usque ad apium formicarumque perfectionem deducunt". Sen. ep. 95: „Non

quaerit ministros deus; quidni? ipse humano generi ministrat: ubique et omnibus praesto est". Cic. de nat. deor. II. 65/164 ubi Balbus rationem stoicam defendens ait: „Nec vero universo generi hominum solum, sed etiam singulis a diis immortalibus consuli et provideri solet".

Iovem optimum atque iustissimum *iudicem* esse sequitur ex decreto: deum ubicumque adesse (cf. p. 14 h. d.). Quis igitur melius iudicium de nobis facere potest quam deus? „cui nihil clusum est. Interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit" (Sen. ep. 83). Vide etiam Sen. de quaest. nat. II 36: sapientis quoque viri sententiam negatis posse mutari. Quanto magis dei? cum sapiens (deus) quid sit optimum in praesentia sciat, illius divinitati omne praesens sit.

Eum *bonum* ac *iustum* esse iudicem necesse est, quia est virtus ipsa sive perfecta ratio, sive summum bonum (cf. p. 4 h. d.).

Qualitates sive virtutes dei his versibus Cleanthes exprimit:

> Εἰ τὸ ἀγαθὸν ἐρωτᾷς μ'οἷον ἔστ', ἄκουε δή.
> Τεταγμένον, δίκαιον, ὅσιον, εὐσεβές,
> Κρατοῦν ἑαυτοῦ, χρήσιμον, καλὸν, δέον,
> Αὐστηρὸν, αὐθέκαστον, αἰεὶ συμφέρον,
> Ἄφοβον, ἄλυπον, λυσιτελές, ἀνώδυνον,
> Ὠφέλιμον, εὐάρεστον, ἀσφαλὲς, φίλον,
> Ἔντιμον, ὁμολογούμενον . . . .
> Εὐκλεὲς, ἄτυφον, ἐπιμελὲς, πρᾷον, σφοδρόν,
> Χρονιζόμενον, ἄμεμπτον, αἰεὶ διαμένον.
> Ἀνελεύθερος πᾶς, ὅστις εἰς δόξαν βλέπει,
> Ὡς δὴ παρ' ἐκείνης τευξάμενος καλοῦ τινός.

Τὸ ἀγαθὸν sive „bonum" hic idem ac deus est, quia dei natura bonitas est. Sic Seneca (de Ira II c. 27): Quaedam sunt, quae nocere non possunt, nullamque vim nisi benificam et salutarem habent: ut dii immortales; qui nec volunt obesse, nec possunt. Natura illis mitis ac placida est, tam longe remota ab aliena iniuria, quam a sua.

De dei *iustitia* scribit Cicero (de nat. deor. I. 14): Zeno

autem naturalem legem divinam esse censet eamque vim obtinere, recta imperantem prohibentemque contraria.

Pergit poeta (vs. 22 sqq.), postquam stulto exprobravit, quod, quae ne Staio quidem, homini sceleratissimo, credere audeat, a deo optimo maximo ultro petat:

„O bone, clamet,
Iupiter! At sese non clamet Iupiter ipse?
Ignovisse putas, quia cum tonat cet."

Quae verba significant: An tu putas deos tibi favere, quia te non statim propter facinora tua et malas cogitationes interficiunt? [30]) Si hoc credas, erres; nam „dii nec dant malum nec habent: ceterum castigant quosdam et coercent, et irrogant poenas, et aliquando specie boni puniunt" (Sen. ep. 95). Castigant igitur dii et aliquando falsa boni specie puniunt, o, stulte! quum indulgere videntur. Haec plane pro stoico sensu dicta esse nos docet Plut. (de republ. Stoic. 35) scribens: *ἀλλὰ μὴν τὸν θεὸν κολάζειν φασὶν (οἱ Στωικοὶ) τὴν κακίαν καὶ πολλὰ ποιεῖν ἐπὶ κολάσει τῶν πονηρῶν.* Quod deus in vs. 18 et alibi Iupiter vocatur, non alienum est a ratione stoica (cf. pag. 15 h. d.).

Saepissime enim Stoici Iovis sive *Διός* mentionem faciunt et hac voce pro deo utuntur e. g.: *Λέγει γοῦν Χρύσιππος ὅταν ἐκπύρωσις γένηται μόνον ἄφθαρτον ὄντα τὸν Δία τῶν θεῶν.*

Ἥλιος μὲν γὰρ καὶ σελήνη καὶ οἱ ἄλλοι παραπλήσιον ἔχοντες λόγον γενητοί εἰσιν, ὁ δὲ Ζεὺς ἀΐδιός ἐστιν.

Τροφῇ τε οἱ μὲν ἄλλοι θεοὶ χρῶνται, παραπλησίως συνεχόμενοι δι' αὐτήν. Ὁ δὲ Ζεὺς καὶ ὁ κόσμος καθ' ἕτερον τρόπον ἀναλισκομένων καὶ ἐκ πυρὸς γιγνομένων (Plut. de communib. notitiis adv. Stoicos 16; de Stoic. rep. 38).

Ἕν τε εἶναι θεὸν καὶ νοῦν, καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία, πολλαῖς τε ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι (Diog. Laert. VII. 135).

Idemque (sc. Chrysippus) etiam legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit, Iovem dicit esse, eandemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum veritatem (Cic. de nat. deor. I. 15/40).

Apud vestros quoque sapientes Λόγο , id est, *sermonem*

atque *rationem* constat artificem videri universitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit; eundem et fatum vocari et deum, et animum Iovis, et necessitatem omnium rerum, cet. (Tertullianus in apologetico).

— ea scilicet consuetudine, qua solent Iovem pro deo accipere (Stoici) (Lactant. I. c. IV. 9).

Quid enim aliud est natura, quam deus, et divina ratio, toti mundo et partibus eius inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare; et Iovem illum optimum ac maximum rite dices, et tonantem et statorem cet. (Sen. de benef. VI. 7).

Quod Persius uno loco excepto semper ubique de diis loquitur non de deo, non repugnat rationi stoicae. Omnes enim auctores stoici, quamquam unitatem dei sive unionem divinitatis defendunt, passim deorum mentionem faciunt. Variis deorum nominibus non nisi varia munera dei exprimunt, ut iam antea in parte huius dissertationis, in qua physiologiam Stoicorum tractavi, disserui. (Vide pag. 15)

En habes verba ipsa Laertii descripta (VII, 147): *εἶναι δὲ τὸν μὲν* (sc. *θεὸν*) *δημιουργὸν τῶν ὅλων, καὶ ὥσπερ πατέρα πάντων κοινῶς τε, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ τὸ διῆκον διὰ πάντων, ὃ πολλαῖς προσηγορίαις προσονομάζεται κατὰ τὰς δυνάμεις.* Sequuntur variae appellationes earumque explicationes e. g.: *Ζῆνα δὲ καλοῦσι, παρ' ὅσον τοῦ ζῆν αἴτιός ἐστιν ἢ διὰ τοῦ ζῆν κεχώρηκεν.* Nonnumquam Stoici, studio ducendi nominum propriorum et omnium vocabulorum origines, meras nugas et ineptias ediderunt. Notum est illud Tullianum „*Oppidum*, ut imiter ineptias Stoicorum, quod opem daret".

Libentissime versabantur in historia mythica, cuius fabulas allegorice interpretabantur. „Magnam suscepit molestiam, et minime necessariam, Zeno primus, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commentitiarum fabularum reddere rationem, et vocabulorum, cur quidque ita appellatum sit, caussas explicare" (Cic. de nat. deor. III. 24/63).

Usu docti, quum multi viri sapientes deridendo fabulas, quae de diis deabusque vulgo credebantur et omnibus in ore

erant, poenas audaciae dedissent, Stoici diligentissime cavebant, ne plebis opiniones laederent; conabantur deismo accommodare polytheismum varia numina facientes varia dei munera. Et plebs rata eos sibi consentire, quum deos venerarentur, etiamsi hos tantum varias appellationes unius dei intelligebant, Stoae sectatoribus non inimica erat. Ut iam dixi, fabulas mythologicas ἀλληγορίας, sive, ut ipsi appellabant, ὑπονοίας significabant; numquam tamen illas ad verbum accipiebant, e contrario, deorum dearumque facinora et furta imo pectore contemnebant, quae saepissime, praesertim iis temporibus, quum minus metuendum erat, ne ira plebis sibi contracta publice condemnarentur, libere et audacter dictis scriptisque perstringebant (cf. Sen. de brev. vitae 16. Cic de nat. deor. II 23. 60; 24. 63; 28. 70).

Nec Persius umquam opinionem, quam populus de diis habebat, derisui habet, quamquam superstitionem deridet (cf. II. 3; V. 180; VI. 10 sqq.).

Versus, qui sequuntur, iterum Seneca stoice interpretabitur. Persius scribit (vs. 29/30):

> Aut quidnam est, qua tu mercede deorum
> Emeris auriculas? Pulmone et lactibus unctis?

Seneca ep. 95: Audiat licet, quemadmodum se gerere in sacrificiis debeat, quam procul resilire a molestiis et superstitionibus: numquam satis profectum erit, nisi, qualem debet deum, mente conceperit, *omnia habentem*, *omnia tribuentem*, *beneficia gratis dantem*.

Seneca de benef I. 6: Non est ergo beneficium ipsum, quod numeratur aut traditur. Sicut nec in victimis quidem, licet opimae sint, auroque praefulgeant, deorum honos est; sed pia ac recta voluntate venerantium; itaque boni etiam farre ac fritilla religiosi sunt, mali rursus non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint. (Vide versus ultimos huius sat.)

Idem fere ac Seneca noster censet Plinius, qui in plerisque Stoicum agit. Ait: „Animadverto enim etiam deos ipsos non

tam accuratis adorantium precibus quam innocentia et sanctitate laetari, gratioremque existimare, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit", qui locus etiam spectat ad vs. 15 & 16 h. sat.

Versu 30 et sequentibus, votis turpibus et sceleratis perstrictis (vs. 10 sqq.), poeta in vota stolida invehitur. Simul notat superstitionem, cui vulgus deditum est. Cum his versibus conferenda sunt Senecae verba (ep. 32): „Optaverunt itaque tibi alia parentes tui, sed ego contra omnium tibi eorum contemptum opto, quorum illi copiam", et (ep. 60) „Etiamnum optas, quod tibi optavit nutrix tua, aut paedagogus aut mater? Nondum intelligis, quantum mali optaverint? O! quam inimica nobis sunt vota nostrorum! eo quidem inimiciora, quo cessere felicius. Iam non admiror, si omnia nos a prima pueritia mala sequuntur; inter exsecrationes parentum crevimus".

> „Ast ego nutrici non mando vota, negato
> Iuppiter haec illi, quamvis te albata rogarit",

Persius inquit, nam non sunt illa, quae optant avia et matertera, bona. Nihil illis votis est cum uno bono i. e. virtute. Verissime igitur ait Seneca in ep. 31: „Bono animo male precantur; et si vis esse felix, deos ora, ne quid tibi ex his, quae optantur, eveniat. Non sunt ista bona, quae in te isti volunt congeri; unum bonum est, quod beatae vitae causa et firmamentum est: sibi fidere". Is sibi fidit, qui omnia externa plane despicit, qui a se solo dependet et ex se nascentibus bonis.

Simul denotat poeta vss. 36/37 cupiditatem in appetendo, quae gravis est perturbatio. (De perturbationibus vide me disserentem, pag. 35 h. diss.)

Versus 41 multa habet, quae postulant, ut paulo fusius tractentur. Hoc enim et proximis versibus poeta depingit stultum genus humanum, quod petens aliquid a diis ipso stulto modo agendi contrarium facit atque optat. Quamquam stulti ita agentes deos ludibrio habere videntur, tamen hoc non est, ad quod praecipue animum attendatis velim.

Est vocabulum „Esto", quod me tenet; nam sic locutus poeta statuit primo deos orandos, secundo ἀδιάφορα roganda esse.

Diu dubitavi, utrum quadret in rationem stoicam vota fieri necne. Hic non locum esse votis stultis, qualia versu 44° sqq. commemorantur, per se intelligitur. Sed quaerendum esse mihi videtur, num Stoico a deo precandum sit, ut bonus fiat, ut pericula avertantur, et talia, quum e libero arbitrio, quod Stoici semper in ore habent, dependeat, utrum quis bonus fieri velit necne, et e fato, quid cuique malum vel bonum accidere necesse sit. Quid igitur votis opus est?

Si poetam nostrum legis et relegis, videbis eum ubique censere deos esse orandos. Eum hac in re ex Stoicorum mente dicere, hi, quos inveni, loci scriptorum stoicorum, et eorum, qui sententias stoicas citant, coarguunt.

Sunt: Diog. Laert. VII. § 124: *εὔξεταί τε (φασὶν) ὁ σοφὸς, αἰτούμενος τὰ ἀγαθὰ παρὰ τῶν θεῶν, καθά φησι Ποσειδώνιος* (Stoicus) *ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ καθηκόντων, καὶ Ἑκάτων* (item Stoicus) *ἐν τρισκαιδεκάτῳ Περὶ παραδόξων.*

Seneca ep. 10: Votorum tuorum licet diis gratiam facias; alia de integro suscipe; roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. Quidni tu ista vota saepe facias? audacter deum roga, nil illum de alieno rogaturus.

Horum auctorum sententiis igitur dii rogandi sunt; praeterea et Seneca Lucilio suo suadens, ut roget bonam valetudinem corporis et Persius usus vocabulo „Esto", quo robora nervis, et corpus validum in senectute rogari non reiicit, uterque scriptor ἀδιάφορα optanda atque roganda esse comprobare videtur.

Quid sint ἀδιάφορα iam supra demonstravimus (cf. p. 5 h. diss.). Breviter docet Helvidius (Tac. hist. IV): „Doctores sapientiae sequamur, qui sola bona, quae honesta, mala tantum, quae turpia. Potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque bonis, neque malis adnumerant".

Suntne roganda quae extra animum sunt? Aiunt, ut vidimus, Seneca et Persius l.l.; Cicero tamen (de fin. IV): „Valetudinem bonam (sc. corporis) *expetendam* esse negant (Stoici), *eligendam* dicunt", et Annaeus noster (ep. 10): „Ego de cor-

pore quoque idem tibi respondeo: *sumpturum* quidem me, si detur electio, et sanitatem et vires". Nota et Ciceronem et Senecam dicere *eligere* et *sumere* bonam valetudinem, non *expetere*, quod idem est ac *optare* (cf. 6 h. diss.). Haec de adiaphoris. Ego quidem credo rem se ita habere. *Sapiens ille consummatus* numquam deum quidquam rogabit. Est enim, ut iam vidimus (p. 11 h. diss.), par deo, quin etiam, ut paradoxum ponit, deum superat. Ὁ σοφός igitur, quem — ut tradit Laertius — a diis bona petiturum esse Stoici aiunt, intelligendus mihi videtur *proficiens*, sive sapiens, qui vivit in hac terra. Quare huic non liceat orare deos, ut dent, quae sunt bona, avertant, quae sunt mala, quare huic non liceat rogare ἀδιάφορα, quae sunt *sumenda*, et precari, ut *reiectis* vacet?

Praeterea notandum est scriptores nonnumquam sibi repugnare e.g. Senecam, quum scribat „roga bonam mentem cet", et „Facis rem optimam si perseveras ire ad *bonam mentem*, *quam stultum est optare*, cum possis a te impetare" (ep. 41). Non mirandum mihi videtur Stoicum hoc modo precari: Avertas deus morbos, pericula ac talia (reiecta sunt), et primo loco, liberes nos a malo; tribuas valetudinem corporis, sensuum integritatem, bonam famam, bonam fidem talia (sumenda sunt), et ante haec omnia tribuas *bonam mentem* (i. e. perfectam rationem, qua quis bonus fiet). Numquam tamen Stoico obliviscendum est ἀδιάφορα non finem esse, quo tendat; virtus sola scopus sit.

Vota suscipere non pugnare cum eo, quod de fato constituerunt Stoici, nos docet Seneca (quaest. nat. II. 37): „Agere tamen nunc eorum volo causam, qui procuranda existimant fulmina, et expiationes non dubitant prodesse, aliquando ad submovenda pericula, aliquando ad levanda, aliquando ad differenda. Quid sit, quod sequitur, paulo post prosequar. Interim hoc habent nobiscum commune, quod nos quoque existimamus *vota proficere*, salva vi ac potestate fatorum. *Quaedam enim a diis immortalibus ita suspensa relicta sunt, ut in bonum vertant, si admotae diis preces fuerint; si vota suscepta. Ita non est hoc contra fatum, sed ipsum quoque in fato est*".

Vs. 52 et sqq. acerbe invehitur poeta in miserum genus humanum, quod deum ex sua pessima natura fingit, et deos iisdem rebus inanibus et futilibus delectari, quibus se, credit. Hoc est, cur stulti homines deos accumulare audeant donis et muneribus, quorum ne ullo quidem iis opus est. „Vetemus lintea et strigiles Iovi ferre, et speculum tenere Iunoni" (Seneca ep. 95). Si quid tamen grato animo diis offerre velis — quod non necesse est, nam factis probis et mente pura dii maxime coluntur —, si tamen donis manifestis deos honorare velis, tunc da puro et pio animo non nisi donum modicum at simplex. Tolle igitur de templis illa vasa aurea et argentea, quae fictilia exceperunt. Illa, quamvis preciosa, animum integrum et incorruptum non indicant; reduc in animum „Tuberones ligneos lectulos, cum in publicum sterneretur, haedinasque pro stragulis pelles, et ante ipsius Iovis cellam proposita convivis vasa fictilia. Quid aliud est, paupertatem in Capitolio consecrare?" (Sen. ep. 95). Ne igitur facias deorum statuas ex auro et quidquid est metalli, neve eorum vultus auro oblinas et polluas; „non potest ex hac materia imago dei exprimi similis. Cogita illos, cum propitii essent, fictiles fuisse" (Sen. ep. 31).

Hanc fere vim et sententiam hi versus 52—75 habent; sunt tamen verba quaedam et formulae, quae exigunt, ut diligentius ea intueamur.

Castigat poeta vs. 52—54 cupiditatem, quae est una e quatuor affectibus sive perturbationibus [31]).

Iam pridem vidimus omnes affectus esse motus sive ὁρμὰς nascentes phantasia rei bonae vel malae obiectae (cf. 11 h. diss.). Phantasia sive visum i. e. imago rerum, quae animo insident, aut verum aut falsum est. Verum est visum, si utimur duce *ratione*, nam ratio sequitur naturam vel imitatio naturae est, eademque nos docet bona an mala res sit. Visum falsum vel si mavis pravum est, si pugnat contra rationem, igitur contra naturam. Ratio igitur diiudicat primo, utrum res, quae obiicitur, bona an mala, secundo, utrum phantasia sive imago bonae malaeve rei, recta an prava sit. Si vera est phantasia, non nisi *bona* i. e. virtutem et ea, quae cum virtute sunt, *concupis-*

cemus, nam motus, qui e phantasia oriuntur, tunc rationales (ὁρμαὶ εὔλογοι) sunt, i. e. secundum rationem, quae vetat mala sequi, et *constanter concupiscemus* (βούλησις sive voluntas, cf. Cic. tusc. IV. 6) i. e. *semper eadem* (cf. p. 4 h. diss.).

Si falsa est phantasia, motus, qui ex ea oriuntur, irrationales sunt (ὁρμαὶ ἄλογοι) vel, ut Ciceronis verba describam, „aversae a recta ratione, contra naturam, animi commotiones sunt", aut immodici sive vehementiores (ὁρμαὶ πλεονάζουσαι).

Affectus, quamquam boni aut mali esse possunt, prout nascuntur bonis animi motibus aut malis, tamen a Stoicis in malam partem intelliguntur. Si boni sunt, vocantur εὐπάθειαι, constantiae, si mali πάθη, sive perturbationes. Sic, quum legimus omnes affectus pravos esse, nec eos ne temperatos quidem bonos, affectus πάθη significant.

Εὐπάθειαι tripartitae sunt: voluntas (βούλησις), cautio (εὐλάβεια), gaudium (χαρά). Πάθη in quatuor partes dividuntur, quae vocantur: λύπη (dolor), φόβος (metus), ἐπιθυμία (laetitia, alii: concupiscentia), ἡδονή (voluptas). Cf. Diog. Laert. VII. 110, 116; Cic. Tusc. IV. 6.

Peccat igitur stultus, quem depingit poeta (vs. 52—54), quod cedit notioni rerum adiaphorarum, quae sunt paterae aureae ac talia, nec statim eam depellit ex animo, et multo magis peccat, quod *laetatur* iis. Nam sapiens ἀπαθής est; igitur quidquid est externorum, plane despicit, nihil curat; sumet ea, si detur electio, numquam tamen concupiscet (cf. pag. 6 h. diss.).

Cor sedem esse animi perturbationum Stoici ponunt. (Cf. quae annotavi ad vs. 110 sat. III et pag. 20 h. d.)

Vs. 56—57. Stoici quamquam credunt deos et genios nobis posse inmittere insomnia et visus nocturnos (cf. pag. 17 h. d.), ut de periculis, quae immineant, admoneant, tamen „vanas somniorum species, visusque nocturnos, nihil habentes solidi neque veri" (Sen. de const. sap. 11), quales stulto illi, quem Persius depingit, sunt curae, contemnendas neglegunt (De fide somniorum vide Cic. de divin. I. c. 20/39.) „Chrysippus Stoicorum somniorum vaferrimus habetur interpres" (Cic. de nat. deor. I. 15/39).

Vs. 61—75. Imprimis notanda est vox *pulpae*, quae hoc loco fere usurpatur ut σάρξ (caro) in scriptis eorum, qui Christum confitentur. Conferenda est Senecae epistola 74[a], in qua scriptor hoc sensu voce carnis utitur: „Summum bonum in animo constituamus. Obsolescit si ab optima nostri parte ad pessimam transit et transfertur ad sensus, qui agiliores sunt animalibus mutis. Non est summa felicitatis nostrae in *carne* ponenda. Bona illa sunt vera, quae ratio dat: solida ac sempiterna, quae cadere non possunt nec decrescere quidem aut minui. Cetera opinione bona sunt, et nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non est".

Ut vides, scripta stoica horum temporum iam imbuta sunt ethica illa universali, quae genus humanum aptissimum reddidit ad accipienda verba Christi.

Nota, bene nota, o! homo stulte, qui deo res terrenas placere existimes, „nec libido ad deum, nec epularum lautitia, nec opes nec quicquam ex his hominem inescantibus et vili voluptate ducentibus, pertinet" (Sen. ep. 74).

Pulpa sive libido et cupiditas erit, est et fuit, qua „ab hac divina contemplatione abductum animum in sordida et humilia pertraximus, ut avaritiae serviret, ut relicto mundo terminisque eius et dominis cuncta versantibus terram rimaretur et quaereret, quid ex illa mali effoderet non contentus oblatis" (Sen. ep. 110).

Pulpa est, qua rerum natura vera vitiatur et corrumpitur, qua ovium vellera pura et candida coloribus alienis tinguntur et testudinum „testa, in quibus ipsa illa, quae placet varietas, subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur" (Sen. de benef VII 9).

Pulpa est, qua genus humanum totam naturam turbat et miscet, non contentum his, quae largitur deus. „In illa quoque dissentio — ita exclamet Persius Senecae verbis usus — a Posidonio (Stoico), qui censet sapientes fuisse, qui ferri metalla et aeris invenerunt: cum incendio silvarum adusta tellus, in summo venas jacentes liquefacta fudisset. Ista tales inveniunt, quales colunt. Ne illa quidem tam subtilis quaestio mihi videtur, quam Posidonio: utrum malleus in usu esse primus, an forceps coeperint. Utraque invenit aliquis exercitati ingenii, acuti,

non magni nec elati, et quidquid aliud *corpore incurvato*, et *animo humum spectante*, quaerendum est. Sapiens facile victu fuit" (ep. 90).

Haec omnia, quae genus humanum perpetrat *scelerata* (i. e. noxia ac perniciosa) et stulta quidem sunt, sed illi nihilominus prosunt ad vitam, quatenus in materia est posita et rebus externis gaudet. Vos tamen o! pontifices, quibus res divinae curae sunt, rogo atque obsecro, ut me edoceatis, quem in usum aurum et argentum et omnis generis opes in templis coacerventur? An in maiorem deorum gloriam? At boni! deus nihil egit, omnia habet. „Primus est deorum cultus, deos credere; deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est, scire illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant" (Sen. ep. 95).

Deum colit, *qui novit* (Sen. ep. 95). Quis novit deum? Sapiens. Quomodo quis deum noscet? philosophia, cuius „opus unum est, de divinis humanisque verum invenire; ab hac numquam recedit iustitia, pietas, religio et omnis alius comitatus virtutum consertarum et inter se cohaerentium. Haec docuit colere divina, humana diligere et penes deos imperium esse, et inter homines consortium" (Sen. ep. 90). Tunc peritus fies divini iuris atque humani; scies igitur, quomodo dii sint colendi, quid te deceat, quid tibi et aliis debeas (cf. Sen. de benef. VII. 23). Scies, quid per legem humanam, quid per legem divinam liceat. Tunc „mentis recessus sancti" fient, quibus pulchrius nullum praebebis spectaculum. „Si nobis animum boni viri liceret inspicere, o! quam pulchram faciem, quam sanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem videremus? hinc iustitia, illinc fortitudine, hinc temperantia, prudentiaque lucentibus. Praeter has frugalitas, et continentia et tolerantia et libertas comitasque et — quis credat? — in homine rarum humanitas bonum, splendorem illi suum affunderent. Tum providentia, tum elegantia et ex istis magnanimitas eminentissima, quantum dii boni, decoris illi, quantum ponderis, gravitatisque adderent? quanta esset cum gratia auctoritas? Nemo illum amabilem, qui non simul

venerabilem diceret" cet. (Sen. ep. 115). Tunc habebis „incoctum generoso pectus honesto", tunc habebis summum bonum, „quod honestum est, et quod magis admirere, solum bonum" (Sen. ep. 71). Tunc, ut breviter dicam, *virtutem* habebis. Et quum hanc, quam Messalinus, etiamsi ἑκατόμβην immolat, offerre non potest, deo o. m. dabis, tunc „etiam farre et fritilla religiosus eris". (Cf. Sen. de benef. I. 6. et quae annot. ad. vs. 29/30.)

CAPUT III.

AD SATIRAM III.

Hac satira Persius modum perversum, quo Romani poeta florente philosophiam tractabant, perstringit. Fingit adolescentem, qui non plane rudis est bonarum artium, qui quidem paulisper scholam philosophi cuiusdam stoici frequentavit, sed pronus ad ignaviam philosophum et praecepta non amplius curat, vel potius tunc tantum, quum animus fert, lectionibus interest.

Plerique adolescentes romani non serio philosophabantur, sed censebant satis superque fore, si praecepta moralia primoribus — ut ita dicam — labris gustassent et sententias nonnullas, quas magister edidisset, ediscerent. Libenter voces inanes fundebant, rem ipsam tamen non penitus pernoscebant.

Poeta igitur adhortatur ad philosophiam tractandam non obiter sed accurate, non interdum sed uno tenore; nam „non cum vacaveris, philosophandum est; omnia alia neglegenda, ut huic assideamus. Cui nullum tempus satis magnum est, etiam si a pueritia usque ad longissimos humani aevi terminos vita protenditur. Non multum refert, utrum omittas philosophiam, an intermittas [32]; non enim, ubi interrupta est, manet, sed eorum more, quae intenta dissiliunt, usque ad initia sua recurrit, quod a continuatione discessat". Quibus verbis Seneca (ep. 72) multa praeterea utilissima et praestantissima adjungit.

Philosophandum est, sed philosophiae toti et dogmaticae et paraeneticae studendum est, si quis bonus ac felix vult fieri.

Omnibus viribus in eam incumbendum est; nil iuvat te sententias et praecepta ediscere, quibus sapientiam ostentes, nam „sicut ii, qui a stomacho laborant, cibum statim eiiciunt, sic qui praecepta nuda acceperunt, sermone effundunt. At concoque potius, in succum verte, et mutationem in mente factam ostende. Ecce faber, qui peritus artis est, non obambulat clamitans: Audite me disserentem de re fabrili; sed tacitus domum et tabernam conducit, instruit et operibus ostendit se peritum. Tale tu fac, ede, bibe ut decet; matrimonium contrahe, liberos gigne, remp. gere, convicium contrahe, fer patrem, fratrem, vicinum iniquum, et talia nobis ostende, ut vere te philosophum cognoscamus" (Epict. diss. 3, c. 21).

Quae eadem, quamquam aliis verbis, monet Seneca (ep. 20): „Si vales, et te dignum putas, qui aliquando fias tuus, gaudeo. Mea enim gloria erit, si te istinc, ubi sine spe exeundi fluctuaris, extraxero. Illud autem, mi Lucili, te rogo atque hortor, ut philosophiam in praecordia ima demittas, et experimentum tui profectus capias, non oratione nec scripto, sed animi firmitate, et cupiditatum deminutione. Verba rebus proba. Aliud propositum est declamantibus et assensionem captantibus, aliud his, qui iuvenum et otiosorum aures disputatione varia aut volubili detinent. *Facere docet philosophia, non dicere;* et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, ne orationi vita dissentiat, ut ipsa inter se vita unius, sine actionum dissensione, coloris sit. Maximum hoc est et officium sapientiae et indicium, ut verbis opera concordent, ut et ipse ubique par sibi idemque sit". cet.

Vide pag. 4 huius diss. et Knickenbergium de perversa philosophandi ratione disserentem. [33])

Versibus 1—14 poeta depingit stultum quemdam, cui tamen non est

> „inexpertum curvos deprendere mores
> Quaeque docet sapiens braccatis illita Medis
> Porticus". (vs. 52 h. s.)

Audivit igitur iuvenis magistrum stoicum, nec plane ignarus est rationis huius sectae; attamen non assiduus auditor est. Interdum, heu! vel saepius voluptatibus, quas mundus praebet, se dedit.

Unus e iuvenis comitibus, eum aliquando invenit dormientem et crapula hesterna laborantem, quum debeat ire in scholam. Expergefacit eum et ad auditionem secum ducit. Tunc stultus noster stomachosus, quod nihil intelligit, quae docentur, omnem culpam a se amovere conatur; atramentum, charta, et omnia, quae ad notanda magistri verba opus sunt, eum tardant scilicet et in culpa sunt. Nunc (vs. 15) poeta indignatus in eum invehitur et exclamat:

> „O! miser, inque dies ultra miser! huccine rerum
> Venimus?"

id est: O! miser iam eo rerum devenisti, ut talia quaeras deverticula, ne discas, ut malis indulgere voluptatibus, quam urgere occasionem, ut vita, tam stulta, ne dicam turpi, te liberes, et redeas ad rectam honestamque vivendi rationem. O! miser, si pergis vivere ut vivis, necesse est in dies magis magisque miseriae pondere obruaris. Qui „voluptati tradidere principia, utroque caruere. Virtutem enim amittunt: ceterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet: cuius aut inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri, si deseruntur ab illa: miseriores, si obruuntur (Sen. de vita beata 14).

Nec mirandum est miseriam eorum, qui non frugaliter vivunt, qui externa petunt non virtutem, in dies crescere, nam „necesse est in immensum exeat cupiditas, quae naturalem modum transiliit. Illa enim habet suum finem; inania, et ex libidine orta, sine termino sunt. Necessaria metitur utilitas; supervacua quo redigis? Voluptatibus itaque se mergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt: et ob hoc *miserrimi* sunt, quod eo perveniunt, ut illis, quae supervacua fuerant, facta sint necessaria. Serviunt itaque voluptatibus, non fruuntur, et mala sua, quod malorum ultimum est, amant. Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solum

delectant, sed etiam placent; et desinit esse remedio locus, ubi quae fuerant vitia, mores sunt" (Sen. ep. 39 in fine).

Frugaliter vivendum est. Felicitatem — ut statuunt Stoici — soli atque uni habent ii, qui virtutem habent, ad quam adipiscendam una modo via est, philosophia sive studium sapientiae (cf. 3 pag. h. d.). Sed „non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura. (Sen. ep. 17).

An tali studeam calamo? Ita Persius vel si mavis comes ille adolescentis ignavi verba repetit, indignatus quod ausus est obiicere se non posse operam dare optimis studiis, si quid vitii habeat instrumentum scribendi. Quid istud! exclamat; aliis imponas velim, non mihi. *Omnes* possunt discere, qui volunt [34]). Quam stultum est, quod istas tergiversationis facis! nonne intellegis tuam non alienam rem agi? (tibi luditur). Responsa tua stultitiam, qua laboras, indicant (effluis amens).

Contemnere! exclamat poeta, cui monenti haud dubie ante oculos versabatur Horatianum illud:

> Contemnere miser, vitanda est improba Siren
> Desidia, aut, quidquid vita meliore parasti,
> Ponendum aequo animo. (Hor. Sat. II. 3. 13—16)

Hic vix mihi quaerendum videtur: qui contemnent? qui, quaeso, nisi boni, qui operam dant philosophiae. Nam vulgus, quod externa modo appetit, nec quidquam nisi voluptatem quaerit, iuvenem nostrum ignavum non despiciet. Qui sapere student et philosophantur, eum contemptui habebunt; nam, sicut olla non satis probe cocta, quum digito percutitur, tinnitum raucum edit, sic ille non bene institutus iis tentantibus stultitiam aperiet.

At, pergit poeta, „udum et molle lutum es cet.", i. e. iuvenis adhuc es, igitur velut cera mollis in quascumque formas redigi potes, et, quia iuvenis es, *statim* et *usque* enixe in philosophiam intendas, necesse est.

Expressis verbis poeta monet: „nunc, nunc properandus es et sine fine fingendus rota", quia affectus facilius tolluntur ex

animo iuvenili — nam non inveterati sunt, igitur nondum morbi sunt facti — et philosophiae intermissae fructus non manet (cf. pag. 39 h. d. in fine).

Vs. 25/26. At, inquies, quare me excruciem studiis philosophiae? Est mihi ager a patre relictus; quamquam haud magnus, tamen fert, unde vivam; et supellectilem et quaecumque ad vitam degendam necessaria sunt, bonis artibus quaesita habeo (purum et sine labe salinum). Quid igitur metuam? Subintellegendum responsum: Nihil timendum, odium et invidiam non contrahis; concedo. „Illud ne timearis, praestabit tibi fortunae mediocritas" (Sen. ep. 105).

Pergit iuvenis: „tutus et securus ero, quia lares et penates semper rite colui". Respondet poeta interrogans, vel si mavis comes ille stoicus: Haec igitur sufficiunt ad agendam vitam tutam et beatam? An his superbiam vis addere, superbus ac elatus longa maiorem serie et amicis magistratum gerentibus? Stultum se praebet iuvenis, quod degit vitam, qualem degit, terrena sola spectans, nec altiora petens. Doceat eum Seneca (ep. 17): „Tu vero, sive aliquid habes, iam philosophare: unde enim scis, an iam nimis habeas; sive nihil, hoc prius quaere, quam quidquam". Cogitandum est omnia externa et terrestria incerta, caduca, mobilia esse; „virtus est una altissimis defixa radicibus", Cicero nescio quo loco inquit. Quid tibi reliquum erit, o! iuvenis, si quo casu tua amiseris? Disce et summis viribus enitere ut sapiens fias, nam hic solus *sine metu* est, hic solus *securus* est [35]). Sed vos o! stulti, quid agitis? „Otiosi divitiis luditis, nec providetis illarum periculum. Sicut barbari plerumque inclusi et ignari machinarum, segnes laborem obsidentium spectant, nec quo illa pertineant, quae ex longinquo instruuntur, intelligunt, idem vobis evenit; marcetis in vestris rebus: nec cogitatis, quot casus undique immineant, iamiamque pretiosa spolia laturi. Sapienti quisquis abstulerit divitias, omnia illi sua relinquet: vivit enim praesentibus laetus, futuri securus" (Sen. de vit. beat c 26).

Nobilitatem generis ac talia nihil curant Stoici; inter indifferentia sunt numeranda [36]). (Vide pag. 5 h. d.). Pulcherime de

hac re scribit Seneca in ep. 44[a]: „Si quid aliud est in philosophia boni, hoc est, quod stemmata non inspicit. Omnes, si ad primam originem revocentur, a diis sunt.... Quis ergo generosus? *ad virtutem bene a natura compositus.* Hoc unum est intuendum; alioqui si ad vetera revocas, nemo non inde est, ante quod nihil est. A primo mundi ortu, usque ad hoc tempus, perduxit nos ex splendidis sordidisque alternata series. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus; nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. *Animus facit nobilem: cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere*".

Quibus addas „Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium et artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio ponunt et nomina familiae suae longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parta prima aedium collocant: noti magis quam nobiles sunt. Unus omnium parens mundus est: sive per splendidos, sive per sordidos gradus, ad hunc prima cuiusque origo perducitur" (Sen. de benef. III. 28).

Vs. 30. „*Ad populum phaleras. Ego te intus et in cute novi*", i. e. per me licet, haec ostentes populo, qui talibus rebus detinetur ac te virum magnum habebit. Me tamen, qui sum instructus philosophia, non decipies, nam probe scio, quam miser sit status intimi tui animi recessus. „Non enim colorem vestium, quibus praetexta corpora sunt, adspicio: oculis de homine non credo; habeo melius certiusque lumen, quo a falsis vera diiudicem. Animi bonum, animus inveniat" cet. (Sen. de vita beat. 2).

Coram vulgo, inquam, quod speciem et splendorem externum admiratur, ista iacta. „Hoc laboramus errore: sic nobis imponitur: quod neminem aestimamus eo quod est, sed adiicimus illi et ea, quibus adornatus est. Atque cum voles veram hominis aestimationem inire, et scire qualis sit, nudum inspice; ponat patrimonium, ponat honores, et alia fortunae mendacia: corpus ipsum exuat: animum intuere, qualis quantusque sit, alieno an suo magnus" (Sen. ep. 76 in fine).

Nec haec neglenda sunt, quae monet Annaeus: „Quemad-

modum stultus est, qui equum empturus non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frenos: sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste aut ex conditione, quae vestis modo nobis circumdata est, aestimat" (Sen. ep. 47).

Vs. 31/34 Te pudere oportet, quod vitam degis, qualem Natta ille nequissimus, qui omnibus voluptatibus deditus est. Hic tam stultus, adeoque obrutus est vitiis, ut nullo modo ex hac miseriarum gurgite emergere possit. In imum delapsus semper ibi iacebit. Numquam ad sanam mentem redibit, numquam „proficiens" fieri potest. (Vide pag. 8 h. d.).

Stultitia et miseria eius semper crescent, nam „imperitis ac plane rudibus nullus praecipitationis finis est: in epicureum illud chaos decidunt inane, sine termino" (Sen. ep 72). Attamen Natta omni culpa caret, quia nescit, quid perdat, sed tu (cf. vs. 52) in maiore culpa es, nam tu disciplina philosophiae, quamquam elementaria, institutus es.

Versus 35–43 contextum versuum interrumpere videntur. Nam dira imprecatione in tyrannos omissa, oratio ratione et via procedit. Rogo cum van Wageningen [37]: „unde haec subita digressio?" et respondeo cum eo: „Ad hanc quaestionem aliter respondere non queo nisi proferens suspitionem, Persium l. l. Neronem non aperte designasse; si qua principis significatio, haec vero perspicua est; de Nerone enim quam maxime valebat, virtutem ab eo relictam esse".

Hoc loco voce tyranni non indicari genus principum, „qui potestate sunt perpetua in ea civitate, quae libertate usa est", facile intelligitur. Semper fere Latini hac voce in malam partem utebantur. „Tyrannus autem a rege distat factis, non nomine. Nam et Dionysius maior iure meritoque praeferri multis regibus potest: et L. Sullam appellari tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hostium?" (Sen. de clem. I. 12). Saepissime adduntur tyranno epitheta ornantia *saevus, crudelis*, talia. En habes miserum illud genus pulcherrime descriptum a Seneca. „Tyranni — ita scribit — voluptate *saeviunt; saevitia* iis cordi est". „Armis utuntur, ut magno timore magna odia compescant. Nec illas ipsas manus, quibus se commiserunt,

securi adspiciunt: contrariis in contraria aguntur; nam et invisi sunt, quia timentur, et timeri volunt, quia invisi sunt; et illo exsecrabili versu, qui multos dedit praecipites, utuntur:

Oderint dum metuant —

ignari quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia creverunt. Temperatus enim timor cohibet animos: assiduus vero et acer, et extrema admovens, in audaciam iacentes excitat, et omnia experiri suadet.... Ill(os) acerb(os) et sanguinari(os) necesse est graventur stipatores sui. Non potest habere quisquam bonae ac fidae voluntatis ministros, quibus in tormentis, et eculeo , et ferramentis ad mortem paratis utitur, quibus non aliter quam bestiis homines obiectat: omnibus reis obnoxior ac sollicitior, ut qui homines deosque testes ac vindices facinorum teneat, eo perductus, ut non liceat illi mutare mores. *Hoc enim inter cetera vel pessimum habet crudelitas*, *quod perseverandum est*, *nec ad meliora patet regressus*, scelera enim sceleribus tuenda sunt. Quid autem eo infelicius, cui iam esse malo necesse est? O, miserabilem illum , sibi certe! nam ceteris misereri eius nefas sit, qui caedibus ac rapinis potentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta reddidit, tam externa quam domestica: cum arma metuat, ad arma confugiens: non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. Qui ubi circumspexit quaeque fecit, quaeque facturus est et conscientiam suam plenam sceleribus ac tormentis adaperuit: saepe mortem timet, saepius optat, invisior sibi, quam servientibus" (de clementia lib. I. c. 11, 12, 13).

Quotidie scelesti poenas atrocissimas luunt, nam „tuta scelera esse possunt: secura non possunt.... prima et maxima peccantium poena est peccasse: nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est. Sed nihilominus et haec, et illa, secundae poenae premunt ac sequuntur: timere semper et expavescere, et securitati diffidere.... Hic consentiamus (sc. cum Epicuro), mala facinora conscientia flagellari, et plurima illi tormentorum esse, eo quod

perpetua illam sollicitudo urguet ac verberat, quod sponsoribus securitatis suae non potest credere.... Multos fortuna liberat poena, metu neminem [38]). Quare? quia infixa nobis eius rei aversatio est, quam natura damnavit. Ideo numquam fides latendi fit etiam latentibus: quia coarguit illos conscientia, et ipsos sibi ostendit. Proprium autem est nocentium trepidare" (Sen. ep 97).

„Securitatis magna portio est, nihil iniqui facere. Confusam vitam et perturbatam impotentes agunt: tantum metuunt, quantum nocent: nec ullo tempore vacant. Trepidant enim cum fecerunt, haerent, conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respicere ad se cogit. Dat poenas, quisquis exspectat: quisquis autem meruit, exspectat. Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum; putat enim se, etiamsi non deprehenditur, posse deprehendi, et inter somnos movetur, et quoties alicuius scelus loquitur, de suo cogitat. Non satis illi obliteratum videtur, non satis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam: numquam fiduciam" (Sen. ep. 105 in fine).

„Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt, quae facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O! te miserum si contemnis hunc testem" (Sen. ep. 43) [39]).

Versus 35 sqq. alti et summo poeta digni sunt; sed non opus est in tyrannos suppliciis deo mandatis. Omnes homines enim, etiam nequissimi, virtutem vident; virtus „placet suapte natura: adeoque gratiosa est, ut insitum sit etiam malis probare meliora.... Maximum hoc habemus naturae meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum permittit: etiam, *qui non sequuntur illam, vident*" (Sen. de benef. IV. 17).

Omnes homines dolebunt, quod virtutem non sequuntur, nam omnes petunt felicitatem, quae non acquiritur nisi virtute. Conscientiam ultricem malos mordere satis liquet e locis, quos modo citavi.

Knickenbergius [40]) hos versus sic interpretatus est: „Pessimum quemque, quum iam redire ad virtutem nequeat, tamen

desiderio gravissimo oculos convertere ad eam, quae sola affert felicitatem, Persius describit: Magne Pater cet."

Haereo in verbis „quum iam redire ad virtutem nequeat". Haec cum ratione stoica non plane congruunt. A nostra voluntate enim pendet, boni fieri velimus necne; „omnes praeoccupati sumus virtutes discere, vitia dediscere, cet". (Vid. pag. 19. h. d.)

Sed „illud desperandum est, posse nobis *casu* tantum bonum influere: laborandum est: et, ut verum dicam, ne labor quidem magnus est: si modo (ut dixi) ante animum nostrum formare incipimus, et recorrigere, quam indurescat pravitas eius. *Sed ne indurata despero. Nihil est quod non expugnet pertinax opera, et intenta ac diligens cura*" (Sen. ep. 50).

Et tyranni igitur, qui profecto laborant indurata pravitate, ad virtutem pervenire possunt, dummodo velint. (Confer. Lips. manud. ad. Stoic. phil. lib. II. diss. 10).

Sunt tamen loca nonnulla, quae, quod Knickenbergio placet, comprobant.

Cic. de fin. IV 20/56: „negat Zeno, Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in causa, qua tyrannum Dionysium. Huic mori optimum esse, propter desperationem sapientiae; illi, propter spem, vivere: peccata autem partim esse tolerabilia, partim nullo modo, propterea quod alia peccata plures alia pauciores quasi numeros officii praeterirent: *iam insipientes alios ita esse, ut nullo modo ad sapientiam possent pervenire: alios, qui possent, si id egissent, sapientiam consequi*".

Seneca de ira, I c. 16; .... „Tibi insanabilis animus est, et sceleribus scelera contexens: et iam non causis, quae numquam malo defuturae sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa, peccare. Perbibisti nequitiam, et ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit: olim miser mori quaeris. [41]) Bene de te merebimur: auferemus tibi istam, qua vexaris, insaniam, et per tua alienaque volutato supplicia, id, quod unum bonum tibi superest, repraesentabimus, mortem".

Tollitur hic arbitrium liberum, quod ponunt Stoici. Has

difficultates, quum ne Lipsius quidem dogmata fati et arbitrii liberi satis enucleasse mihi videatur, a me ad bonum exitum adductum iri despero (cf. Lips. phys. lib. 1. diss. 14, 15).

Statuit Seneca, ut supra vidimus: cogendam esse mentem, ut incipiat discere. Quaerendum esse puto, num quisque mentem cogere valeat.

Hac in re stoicam rationem obscuritate laborare agnoscit Tiedeman (system der stoischem phil. th. 3. p. 145): „Es steht völlig in unserer Gewalt, tugendhaft zu werden (Sen. ep. 41), weil es bey uns steht, alle bösen Gedanken und Begierden aus der Seele zu vertreiben (Antonin. VIII. 29). Daher musz es auch möglich seyn, durch Uebung tugendhaft zu werden, welches auch die Erfahrung bestätigt, denn wir sehen, dasz aus Lasterhaften Tugendhafte werden (Diog. Laert. VII. 91). Dieser Lehre kann man mit Recht den Vorwurf der Unbestimmtheit machen, denn nicht allemahl, unter jeden Umständen, und jedem Menschen ist es völlig ueberlaszen, tugendhaft zu seyn, weil gewisze Conjunkturen allemahl gewisze Grundsätze, Neigungen und Denkungs-Arten hervorbringen, die sich selten mit der vollkommenen Ausuebung der Tugend vertragen. Es hätte also genauer untersucht werden müszen, ob wir allemahl im Stande sind, uns die Tugend so liebenswürdig vorzustellen, als wir es thun müszen, um nach ihren Besitze zu streben, und *ob wir allemahl im Stande sind, unsere guten Entschlüsze auszuführen?*

Attamen dira in tyrannos imprecatio orationis contextum turbare mihi non videtur, si poetam sic intelligere mihi liceat: Tu o! stulte, vitam degis tam turpem, quam Natta. Hic tamen non in culpa est. Est eorum, qui nullo modo ad sanam mentem redire posse videantur (cf. pag. 45 et 48 h. d.). Ignorat igitur virtutem eiusque pretium, sicut non videt sua vitia nec dedecus atque turpitudinem, quibus afficitur. Nunc venit poetae in mentem iuvenis illius, qui summo ingenio praeditus et Seneca optimo philosopho magistro usus vel dissolutius quam Natta, quivis nebulo, vivebat. Ut stultus noster et Nero disciplinis institutus erat et in philosophiam incubuerat. Atro-

citas poenae, qua usque vexatur Nero, est, quod bene sibi conscius, quid sit virtus, quam non sequitur, conscientiae flagellis cruciatur. Omnia tormenta, quae Phalarides excogitaverunt, omnes pavores, qui Dionysios occupaverunt, nihil sunt prae dolore eius, qui exclamat: necesse est me in diem miseriorem fieri, quod virtutem, quam agnosco, non colo, et scelera sceleribus contexo Hanc poenam luunt omnes tyranni, *qui didicerunt.* Nam rex Dahomeianus vel quivis tyrannus gentium ferarum et barbararum delabitur quidem in imum, sed non intellegit, non sentit suam miseriam; conscientia ei non molestiam affert; non didicit. Summa igitur Persii imprecationis acerbitas haec mihi esse videtur: *Didicerint omnes tyranni.*

At, inquies, quare non redit tyrannus ad virtutem, quum sciat remedium, quo effugiat miserias suas. Ad hoc aliter respondere non possum nisi: Nullo modo potest, nisi cedat dominatione. Licet ei exire patria et locis abditis se dedere philosophiae et honestum petere. Sin obtineat tyrannidem, „ei perseverandum est, nec ad meliora patet regressus". Haec misera tyrannorum sors est.

Versibus 44 sqq. procedit oratio, quae illa imprecatione interrumpi videtur. Confitetur poeta et se olim excusationes quaesivisse, ne disceret. At tunc puer erat: „Sunt pueri pueri, pueri puerilia tractent". Tu tamen, ita monet (vs. 52), e pueris iam excessisti, tu iam didicisti dinoscere bonum atque malum, tu imbutus est „scientia bonorum ac malorum immutabili, quae soli philosophiae competit. Nulla autem ars alia de bonis ac malis quaerit" (Sen. ep. 88). Tu interfuisti in coetu illorum iuvenum, qui dediti sunt philosophiae stoicae. Ut ii et tu olim comam totondisti ac totas noctes lucubrasti [41]), parco et modico victu contentus (vs. 54/55), in quo saturitas quin etiam voluptas est, „voluptas autem non illa levis et fugax et subinde reficienda, sed stabilis et certa. Non enim iucunda res est aqua et polenta aut frustum hordeaci panis: sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his voluptatem, et ad id se reduxisse, quod eripere nulla fortunae iniquitas possit" (Sen. ep 18). Et tu olim „ad veras divitias te convertisti: didicisti parvo esse

contentus, et illam vocem magnus atque animosus exclamasti: „Habeamus aquam, habeamus polentam, Iovi ipsi de felicitate controversiam faciamus" (Sen. ep. 110 in fine).

Haec Annaeana Persium loquentem facio, quia non aliena sunt poetae dictis et optime notant, quanti faciant Stoici vitam frugalem et studiis deditam.

Pergit poeta (vs 56): Didicisti, qua via animus pereat necesse sit, qua via ad summam felicitatem perveniri possit; quod te edocuit samius ille philosophus usus imagine litterae Y [43]). Etiamnum dormis o! stulte, qui nosti, quanti momenti sit philosophia? Habesne finem, ad quem omnia dirigis, an temere agis, sine omni futuri cura?

Eadem, quae hi versus 60—62, tractat Seneca, sed multo fusius: „Vivere omnes beate volunt, sed ad pervidendum, quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant. Adeoque non est facile consequi beatam vitam, ut ab ea quisque eo longius recedat, quo ad illam concitatius fertur, si via lapsus est; quae, ubi in contrarium ducit, ipsa velocitas maioris intervalli causa fit. Proponendum est itaque primum, quid sit, quod appetamus: tum circumspiciendum est, qua contendere illo celerrime possimus: intellecturi in ipso itinere, si modo rectum erit, quantum quotidie profligetur, quantoque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit. Quamdiu quidem passim vagamur, non ducem secuti, sed fremitum et clamorem dissonum in diversa vocantium, conteritur vita, inter errores, brevis, etiamsi dies noctesque bonae menti laboremus. Decernatur itaque et quo tendamus, et qua: non sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in quae procedimus: quoniam quidem non eadem hic, quae in ceteris peregrinationibus, conditio est. In illis comprehensus aliquis limes, et interrogati incolae, non patiuntur errare: at hic tritissima quaeque via, et celeberrima, maxime decipit. Nihil ergo magis praestandum est, quam ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur; optima rati ea, quae magno assensu recepta sunt,

quorumque exempla nobis multa sunt: nec ad rationem sed ad similitudinem vivimus" cet. (Sen. de vit. beat. 1).

„Ideo peccamus, quia de partibus vitae omnes deliberamus, de toto nemo deliberat. Scire debet, quid petat ille, qui sagittam vult mittere: et tunc dirigere, et moderari manu telum. errant consilia nostra, quia non habent, quo dirigantur. Ignoranti, quem portum petat, nullus suus ventus est. Necesse est multum in vita nostra casus possit, quia vivimus casu. Quibusdam autem evenit, ut quaedam scire se nesciant. Quemadmodum quaerimus saepe eos, cum quibus stamus: ita plerumque finem summi boni ignoramus appositum; nec multis verbis, nec circuitu longo, quid sit summum bonum, colliges: digito, ut ita dicam, demonstrandum est, nec in multa spargendum. Quid enim ad rem pertinet, in particulas illud diducere? Cum possis dicere, summum bonum est, quod honestum est: cetera falsa et adulterina bona sunt" cet. (Sen. ep. 71).

„Proponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respiciat: veluti navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus. Vita sine proposito vaga est" (Sen. ep. 95).

Simillimus est stultus noster adulencens iis, „qui sine proposito vagantur, quaerentes negotia; nec quae destinaverunt, agunt, sed in quae incurrerunt" (Sen. de tranq. an. 12), quamquam non nescit non „extempore" esse vivendum, sed „convenienter", quod quid significet, vide pag. 6 h. d.

Vs. 63/64 comparat poeta eum, qui est aeger animi, cum aliquo, qui morbo correptus est. Cuius similitudinis Stoici omnium temporum amantissimi fuerunt, e g.

Cic. tusc. quaest. IV. 9—30; Diog. Laert. VII. 115:

„ὡς δὲ λέγεταί τινχ ἐπὶ τεῦ σώματος ἀῤῥωστήμχτα, οἷον, ποδάγραι, κχὶ ἀρθρίτιδες· οὕτω κἀπὶ τῆς ψυχῆς, φιλοδοξία, κχὶ φιληδονίχ, καὶ τὰ παραπλήσια. τὰ γὰρ ἀῤῥωστήματα ἐστὶ νόσημα μετὰ ἀσθενείας· τὸ δὲ νόσημχ οἴησις σφόδρχ δοκοῦντος αἱρετοῦ. Καὶ *ὡς ἐπὶ τοῦ σώματος εὐεμπτωσίαι τινὲς λέγονται, οἷον κατάῤῥους καὶ διάῤῥοια. οὕτω κἀπὶ τῆς ψυχῆς εἰσιν εὐκαταφορίαι, οἷον φθονερία ἀνελεημοσύνη,*

ἔριδες, καὶ τὰ παραπλήσια. εἶναι δὲ καὶ εὐπαθείας φασὶ τρεῖς, χαρὰν, εὐλάβειαν, βούλησιν". cet.

Cic. tusc. quaest. IV. 10/23: Quemadmodum quum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur: sic pravorum opinionum conturbatio, et ipsarum inter se repugnantia, sanitate spoliat animum, morbisque perturbat. — Idem ibidem: Hoc loco nimium operae consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo.

Sen. ep. 94: Inter insaniam publicam et hanc, quae medico traditur, nihil interest, nisi quod haec morbo laborat, illa opinionibus falsis. Altera causa furoris traxit e valetudine, altera animi mala valetudo est.

Cavendum est, ne sero sit reditus ad virtutem. Quid proderunt medicamina, quum morbus iam mortiferus factus erit? bonum est, si curritur ad medicum, quum morbus nondum invaluit. Philosophandum igitur est et sine mora. Adhortatur nunc poeta ad philosophiam tractandam versibus 66 sqq., quos non omni in re dilucidos esse, Casaubonus iam agnovit.

Priusquam tamen horum versuum (66 sqq.) explanationem aggrediar, offeram quaedam Annaeana, quorum magna pars aliquid conferre videtur ad recte intelligenda ea, quae mente concepit et litteris mandavit poeta. Simul hoc loco commonefacere velim hanc satiram mihi scriptam videri in eos, qui obiter philosophentur (vid. pag. 39 h. d.). In totam philosophiam quum paraeneticam tum dogmaticam incumbendum est, nam „in hac morum perversitate, desideratur solito vehementius aliquid, quod mala inveterata discutiat: decretis agendum est, ut revellatur penitus falsorum recepta persuasio His si adiunxerimus praecepta, consolationes, adhortationes, poterunt valere, per se inefficaces sunt. Si nolumus habere obligatos, et malis, quibus iam tenentur, avellere, discant quid malum, quid bonum sit: sciant, omnia, praeter virtutem, mutare nomen, modo mala fieri, modo bona. Quemadmodum primum militiae vinculum est religio, et signorum amor, et deserendi nefas: tunc deinde facile cetera exiguntur mandanturque ius iuran-

dum adactis: ita in his, quos velis ad beatam vitam perducere, prima fundamenta iacienda sunt, et insinuanda virtus. Huius quadam superstitione teneantur: hanc ament: cum hac vivere velint, sine hac nolint. Quid ergo? non quidam sine institutione subtili evaserunt probi, magnosque profectus assecuti sunt, dum nudis tantum praeceptis obsequuntur? Fateor: sed felix ingenium illis fuit, et salutaria in transitu rapuit. Nam ut dii immortales nullam didicere virtutem, cum omni editi; et pars naturae eorum est, esse bonos: ita quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem, in ea, quae tradi solent, perveniunt sine longo magisterio, et honesta complexi sunt, cum primum audierunt. Unde ipsa tam rapacia virtutis ingenia, vel ex se fertilia. At illis aut hebetibus aut obtusis, aut mala consuetudine obsessis, diu rubigo animorum effricanda est. Ceterum ut illos in bonum pronos citius educit ad summa, et hos imbecilliores adiuvabit, malisque opinionibus extrahet, qui illis philosophiae placita tradiderit: quae quam sint necessaria, licet videas. Quaedam insident nobis, quae nos ad alia pigros, ad alia temerarios faciunt. Nec haec audacia reprimi potest, nec illa inertia suscitari, nisi causae eorum eximantur, falsa admiratio, falsa formido Haec nos quamdiu possident, dicas licet: Hoc patri praestare debes, hoc liberis, hoc amicis, hoc hospitibus. tentantem avaritia retinebit. Sciet pro patria pugnandum esse: dissuadebit timor. Sciet pro amicis desudandum esse, ad extremum usque sudorem: sed deliciae vetabunt. Sciet in uxorem gravissimum esse genus iniuriae, habere pellicem: sed illum lubido in contraria impinget. Nihil ergo proderit dare praecepta, nisi prius amoveris obstantia praeceptis: non magis, quam proderit arma in conspectu posuisse, propiusque admovisse, nisi usurae manus expediuntur. Ut ad praecepta, quae damus, possit animus ire, solvendus est. Putemus aliquem facere, quod oportet, non faciet assidue, non faciet aequaliter: nescit enim, quare faciat. Aliqua vel casu, vel exercitatione, exibunt recta: sed non erit in manu regula, ad quam exigantur, cui credat recta esse, quae fecit. Non promittet se talem in perpetuum, qui casu

bonus est. Deinde, praestabunt tibi fortasse praecepta, ut quod oportet facias: non praestabunt, ut quemadmodum oportet: et si hoc non praestant, ad virtutem non perducunt. Faciet quod oportet monitus; concedo; sed id parum est; quoniam quidem non in facto laus est, sed in eo quemadmodum fiat" (Sen. ep. 95).

„Omnia autem honesta fient, si honesto nos addixerimus, idque unum in rebus humanis bonum iudicaverimus, quaeque ex eo sunt: cetera, in diem bona sunt. Ergo infigi debet persuasio, ad totam pertinens vitam: hoc est, quod decretum voco. Qualis haec persuasio fuerit, talia erunt quae agentur, quae cogitabuntur: qualia autem haec fuerint, talis vita erit". (Sen. ep. 95).

„Quando omnia, quae praestanda sunt ac vitanda, dicam, cum possim breviter hanc formulam humani officii tradere? Omne hoc, quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem et in eadem gigneret. Haec nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit: illa aequum iustumque composuit: ex illius constitutione miserius est nocere, quam laedi: et illius imperio paratae sunt ad iuvandum manus. Iste versus et in pectore, et in ore sit:

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

Habeamus in commune, quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est: quae casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur. Post deos hominesque dispiciamus, quomodo rebus sit utendum In supervacuum praecepta iactavimus, nisi illud praecesserit, qualem de quaque re habere debeamus opinionem, de paupertate, de divitiis, de gloria, de ignominia, de patria, de exsilio. Aestimemus singula, fama remota: et quaeramus quid sint, non quid vocentur. Ad virtutes transeamus; praecipiet aliquis, ut prudentiam magni aestimemus, ut fortitudinem complectamur: temperantiam amemus: iustitiam, si fieri potest, propius etiam quam ceteras, nobis applicemus. Sed nihil agetur, si igno-

ramus, quid sit virtus: una sit, an plures: separatae an annexae: an qui unam habet, et ceteras habeat: quomodo inter se differant. Non est necesse fabro de fabrica quaerere, quod eius initium, quis usus sit: non magis quam pantomimo, de arte saltandi. Omnes istae artes se sciunt: nihil deest. Non enim ad totam pertinent vitam: virtus et aliorum scientia est, et sui; discendum de ipsa est, ut ipsa voluntas discatur: actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas; ab hac enim est actio. Rursus, voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim est voluntas. Habitus porro animi non erit in optimo, nisi totius vitae leges perceperit, et quid de quoque iudicandum sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas, nisi immutabile certumque iudicium adeptis: ceteri decidunt subinde, et reponuntur, et inter omissa appetitaque alternis fluctuantur. Causa huius iactationis est, quod nihil liquet incertissimo regimine utentibus, fama. Si vis eadem semper velle, vera oportet velis. *Ad verum sine decretis non pervenitur*, *continent vitam*" (Sen. ep. 95).

„Quantum utilitatis manus habeant, nescire nulli licet: aperte iuvant: cor, illud quo manus vivunt, ex quo impetum sumunt, quo moventur, latet. Idem dicere de praeceptis possum: aperta sunt: decreta vero sapientiae in abdito. Sicut sanctiora sacrorum tantum initiati sciunt, ita in philosophia arcana illa admissis receptisque in sacra ostenduntur: at praecepta, et alia huiusmodi, profanis quoque nota sunt" (Sen. ep. 95).

Versus 66 sqq. non valde perspicuos esse iam dixi. Quot viri docti eos interpretati sunt, totidem sententiae prodierunt. Harum omnium mihi maxime placet, quam Knickenbergius affert; sed ne huic quidem plane assentior. Ecce, quae Persius voluisse dicere mihi videtur:

Discite io! miseri: Omnem operam, omne studium figite in philosophia, o! stulti.

Causas cognoscite rerum: Duo rerum sunt principia: deus et materia (cf. pag. 13 h. d.).

Lucretius: Iam tibi de summa caeli, ratione, deumque
Disserere incipiam et rerum primordia pandam.

Haec ut cognoscatis, physiologiae studete.

Vehementur dubitatur inter Stoicos, quo ordine trina philosophiae membra, logica, physiologia, ethica tractanda sint. Plerique physicam ultimo loco ponunt. Persius tamen hic in Panaetii Posidoniique sententiam pedibus ire mihi videtur, qui a physica initium sumunt (cf. Lips. Phys. lib. I diss. 1).

Quid sumus, quid victuri gignimur [44]: „Lauda in ipso (sc. homine), quod nec eripi potest, nec dari: quod proprium est hominis. Quaeris, quid sit? animus, et ratio in animo perfecta. *Rationale enim animal est homo Consummatur itaque eius bonum, si id implevit, cui nascitur. Quid est autem, quod ab illo ratio haec exigit? Rem facillimam, secundum naturam suam vivere*" (Sen. ep. 41 in fine).

„Totum hoc, quo continemur et unum est, et deus est: et *socii eius et membra sumus*" (Sen. ep. 97).

„Omne hoc, quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: *membra sumus corporis magni*". (Sen. ep. 95).

Gignimur igitur sive nascimur ad vitam secundum naturam degendam.

Quis ordo datus est? Fatum (ἐπιπλοκὴ τῶν αἰτίων). Multi scriptores hanc interpretationem comprobant, ex quibus adduco Senecam (quaest. nat. lib. II. c. 35/36): „Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens praecipitat: sic *ordinem rerum fati aeterna series rotat*, cuius haec prima lex est stare decreto. Quid enim intelligis fatum? Existimo necessitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat".

Eundem (paullo infra): „*in illo fati ordine*" cet. Eundem (ep. 107): „sic vivamus, sic loquamur: paratos nos inveniat atque impigros fatum. Hic est magnus animus, qui se deo tradidit. At contra ille pusillus ac degener, qui obluctatur, et de *ordine mundi* male existimat, et emendare mavult deos quam se".

Diog. Laertium (VII. 149): „ἔστι δὲ εἱμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἰρομένη, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται".

Ciceronem de divin. I. 55/125): „Fatum id appello, quod Graeci εἱμαρμένην, i. e. *ordinem*, seriemque causarum, cum

causae causa nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna".

Quam mollis flexus: Disce mortem. Meta saepissime usurpatur pro termino, et terminus pro vitae fine; cf. Sen. (cons. ad Marc. 19): „Excessit filius tuus terminos". — Sen (ep. 101): „Stat quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum necessitas finxit: sed nemo scit nostrum, quam prope versetur" cet. Virgilium (Aen. lib. 10. vs. 472):

. . . . „etiam tua Turne
Fata vocant, metasque dati pervenit ad aevi". —

Eundum (Aen. lib. 12 vs. 546): „Hic tibi mortis erant metae" i. e. mors, quae meta et finis est.

Non difficile nec ingratum est excedere vita: „Contemnite mortem, quae vos aut finit aut transfert [45]). Ante omnia cavi (deus inquit), ne quis vos teneret invitos; patet exitus. Si pugnare non vultis, licet fugere. Ideoque ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, *nihil feci facilius quam mori.* Prono animam loco posui: trahitur. Attendite modo, et videbitis, quam brevis ad libertatem, et quam expedita, ducat via" (Sen. de prov. 6; cf. Sen. de ira III. 15). „Hoc affigamus animo, hoc nobis subinde dicamus: Moriendum est. quando? quid tua? Mors naturae lex est, mors tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium est. Optabit illam, quisquis timet. Omnibus omissis, hoc unum, mi Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides: effice illam tibi cogitatione multa familiarem: ut si ita tulerit, possis illi vel obviam exire" (Sen. quaest. nat. l. 6 in fine).

„Nihil habet quod speret, quem senectus ducit ad mortem. Huic uni intercedi non potest. Nullo genere *homines mollius moriuntur, sed nec diutius*" (Sen. ep. 30).

„Vis adversus hoc corpus liber esse? tamquam migraturus hoc habita, propone tibi quandoque hoc contubernio carendum; fortior eris ad necessitatem exeundi. Sed quemadmodum suus finis veniet in mentem, omnia sine fine concupiscentibus? Nullius rei meditatio tam necessaria est" (Sen. ep. 70).

„Mors malum non est: quid quereris? Sola ius aequum est generis humani" (Sen. ep. 123 in fine).

„Mors inter illa est, quae mala quidem non sunt, tamen habent mali speciem. Sui amor est, et permanendi conservandique se insita voluptas, atque aspernatio dissolutionis; quia videtur multa nobis bona eripere, et nos ex hac, cui assuevimus, rerum copia educere; illa quoque res morti nos alienat, quod haec iam novimus; illa ad quae transituri sumus, nescimus qualia sint, et horremus ignota. Naturalis praeterea tenebrarum metus est, in quas adductura mors creditur. Itaque etiamsi indifferens mors, non tamen inter ea est, quae facile negligi possint: magna exercitatione durandus est animus, ut conspectum eius accessumque patiatur. Mors contemni debet magis, quam solet; multa enim de illa credimus: multorum ingeniis certatum est, ad augendam eius infamiam. Descriptus est carcer infernus, et perpetua nocte oppressa regio, in qua

„ingens ianitor Orci
Ossa super recubans antro semesa cruento,
Aeternum latrans exsangues terret tot umbras".

Sed etiam cum persuaseris istas fabulas esse, nec quidquam defunctis superesse quod timeant, subit alius metus. Aeque enim timent, ne apud inferos sint, quam ne nusquam" cet. (Sen. ep. 82).

Metae qua mollis cet.: Si praestat legi „qua mollis" pro „quam mollis", tunc interpretandum est: disce, qua via mollis flexus, i. e. via, quam te docet philosophia sc. *contemnendo mortem*. Cf. „Philosophia te munit et protegit contra metum atque mortem ipsam" (Sen. ep. 82).

Et unde. Unde mollis flexus metae parandus sit, i. e. qua arte facile mortis genus comparandum? e. g. spiritum, quem ducis, ita comprimere, ut inde moriaris; aperiendo venas; inedia; aliis modis.

Quis modus argento. „Optimus modus pecuniae, qui nec in

paupertatem cadit, nec procul a paupertate discedit" (Sen. de tranq. anim. 9).

„Quis sit pecuniae modus, quaeris? primus: habere quod necesse est; proximus quod sat est" (Sen ep. 2).

Epictetus modum opum statuit corpus esse sicut pedem calcei. Ut hic non debet maior esse, ita non ille amplior naturalibus corporis desideriis.

Quid fas optare: Lege quae annotavi de votis suscipiendis ad versum 41 satirae secundae.

Quid asper utile nummus habet: „Pecunia nihil ad animum pertinet, non magis, quam ad deos immortales omnia ista, quae imperita ingenia, et nimis corporibus suis addicta, suspiciunt" (Sen. ad Helvid. 9). Inter adiaphora est numeranda.

Deinde ad paraenesin, quae agit de praeceptis, Persius se confert.

Quid patriae, propinquis elargiendum est: „Quid agimus, quid damus praecepta.... sciet pro patria pugnandum esse.... pro amicis desudandum esse, ad extremum usque sudorem" cet. Vide quae paulo ante ex hac Senecae epistola excerpsi (pag. 55/56 h. d.) et Diog. Laert. VII 108, 109, ubi attingit *τὰ καθήκοντα*; eundem VII. 119, 120.

Quae decreta et praecepta poeta breviter collegit hisce decretis:

Quem te deus esse iussit et humana qua parte locatus es in re: Te gere talem, qualem deus sive fatum iusserit. Non pauci scriptorum utuntur similitudine, qua vita humana cum partibus histrionis comparatur. Diog. Laert. VII. 160: Εἶναι γὰρ (Aristo Chius Stoicus ait) ὅμοιον τῷ ἀγαθῷ ὑποκριτῇ τὸν σοφόν cet. Epictetus, man. 17(23): Μέμνησο, ὅτι ὑποκριτὴς εἶ δράματος, οἵου ἂν θέλῃ ὁ διδάσκαλος· ἂν βραχὺ βραχέος· ἂν μακρὸν μακροῦ. ἂν πτωχὸν ὑποκρίνεσθαί σε θέλῃ, ἵνα καὶ τοῦτον εὐφυῶς ὑποκρινῇ· ἂν χωλὸν, ἂν ἄρχοντα, ἂν ἰδιώτην. σὸν γὰρ τοῦτ' ἔστι, τὸ δοθὲν ὑποκρίνασθαι πρόσωπον καλῶς· ἐκλέξασθαι δ' αὐτὸ, ἄλλου.

Seneca ep. 78 in fine: Quomodo fabula sic vita, non quam diu sed quam bene acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas. Quocumque voles, desines: tantum bonam clausulam impone.

Cicero de fin. III. 7. 24: Ut enim histrioni actio, saltatori motus non quivis, sed certus quidam est datus, sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet.

Monet poeta, sortem nostram, qua fruimur in hac vita, sive miseram sive laetam, iam ante constitutam esse a fato sive deo. Hic perveniet ad summos honores, ille vivet in conditione humillima, hic vexabitur omnibus miseriis, ille non nisi rebus secundis utetur. Laeto animo officiis fungendum est et perferendum quidcumque laboris est impositum. Conferri potest hic, in quo vivimus mundo, cum theatro. Suam quisque agit personam. Velut militem deus hominem in statione collocavit.

Notum est germanos et genuinos inter veteres Stoicos decretum posuisse: *Sapientem sumere aliquando mortem posse, decere, debere*; cf. Diog. Laert. VII. 130 [46]). Iidem vero, praesertim qui sunt inferiores aetate, docent non licitum esse *temere* discedere ex partibus, quae cuique in vita humana tributae sint. „Optimum est pati, quod emendare non possis: et deum, quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari [47]). Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. Quare impigri atque alacres excipiamus imperia, nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui, quidquid patimur, intextum est, et sic alloquamur Iovem, cuius gubernacula moles ista dirigitur, quemadmodum Cleanthes noster versibus dissertissimis alloquitur:

> 'Αγοῦ δὲ μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σὺ γ' ἡ Πεπρωμένη
> "Οποι ποθ' ὑμῖν εἰμι διατεταγμένος.
> 'Ως ἕψομαι γ' ἄοκνος. ἢν δὲ μὴ θέλω,
> Κακὸς γενόμενος οὐδὲν ἧττον ἕψομαι".

(Sen. ep. 107 in fine; Epict. ench. cap. 77).

Quibus addendum: "Ανθρωποι ἐκδέξασθε τὸν Θεὸν, ὅταν ἐκεῖνος σημήνῃ καὶ ἀπολύσῃ ὑμᾶς ταύτης τῆς ὑπηρεσίας. τότ' ἀπολύεσθε πρὸς αὐτόν. 'Επὶ δὲ τοῦ παρόντος ἀνάσχεσθε ἐνοικοῦντες ταύτην τὴν χώραν, εἰς ἣν ἐκεῖνος ὑμᾶς ἔταξεν. ὀλίγος ἄρα χρόνος οὗτος ὁ τῆς οἰκήσεως, καὶ ῥᾴδιος τοῖς οὕτω διακειμένοις. (Epict.; cf. Lips. manud. l. III. diss. 22 et 23).

Vs. 73—76. *Philosophare* igitur et sperne, quae vulgo pro-

bantur; nec *invide*, quod alii augeantur divitiis. Qui *invidet* bis peccat, primo quod se *avarum* praebet, deinde quod *ingratus* est.

Seneca de ben. II. 26: Videndum est nunc, quid maxime faciat ingratos. Aut nimius sui suspectus, et insitum mortalitati vitium, se suaque mirandi: aut aviditas, aut invidia.

Idem II. 27: Non patitur aviditas quemquam esse gratum. Numquam enim improbae spei, quod datur, satis est. Eo maiora cupimus, quo maiora venerunt: multoque concitatior est avaritia, in magnarum opum congestu collocata.... Ultra se cupiditas porrigit, et felicitatem suam non intelligit, quia non unde venerit, respicit, sed quo tendat. Omnibus his vehementius et importunius malum invidia, quae nos inquietat, dum comparat.

Sen. de benef. III. 3: Non potest autem quisquam et invidere et gratias agere, quia invidere querentis et moesti est, gratias agere gaudentis.

Poeta, quum ait „noli invidere causarum patronis, quod eorum cellae penariae abundent muneribus congestis a clientibus defensis", mihi videtur monere, ne congerat sibi discipulus ut alii defendendo clientes ampliores opes, sed ut dedat se philosophiae contemnens opes. Nam „multis ad philosophandum obstitere divitiae: paupertas expedita est, secura est" (Sen. ep. 17). „Magni animi est, magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia. Illa enim utilia vitaliaque sunt: at haec, eo quod superfluunt, nocent" (Sen. ep. 39).

Noto hoc loco Stoicos distinguere *invidentiam* et *invidiam*, e g. Diog. Laert VII, 111: *δοκεῖ δὲ αὐτοῖς τὰ πάθη κρίσεις εἶναι, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ Περὶ παθῶν·* cet.... *καὶ τὴν μὲν λύπην, εἶναι συστολὴν ἄλογον* (irrationabilem animi contractionem)· *εἴδη δὲ αὐτῆς, ἔλεον, φθόνον, ζῆλον* cet.... *ἔλεον μὲν οὖν εἶναι λύπην, ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι· φθόνον* (Cic. invidentiam) *δὲ λύπην ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς· ζῆλον δὲ, λύπην ἐπὶ τῶ ἄλλῳ παρεῖναι ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ·* cet.

Cic. tusc. IV. 78: Utendum est enim docendi causa verbo minus usitato, quoniam invidia non in eo, qui invidet solum

dicitur sed etiam in eo, cui invidetur. Invidentiam esse dicunt (Stoici) aegritudinem, susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti.

Jahnius vs. 73 sic interpretatus est: „Disce, nec invideas *discere*, i. e. noli discendi laborem fugere, quia agendo causas aequirere possis, unde vivas". Longe aliter interpretatur vir doctissimus van Wageningen: „Laat u leeren en onttrek er u niet aan, omdat er reeds een muffe reuk is in uwe rijke provisiekamer van de vele inmaakpotten, die enz...., of omdat de sprot van de eerste bezending zelfs nog niet opgebruikt is".

Fingit v. W. iuvenem nostrum stultum causarum patronum esse, qui a clientibus et et reis defensis multa accipit cibaria, et poetam illum monere, ne negligat philosophiam, quod satis superque habeat, unde vivat. Eadem fere tractavit Persius vs. 25/26. Vide pag. 43 h. d.: „Tu vero, sive aliquid habes, iam philosophare: unde enim scis, an iam nimis habeas; cet". Malim tamen hac in re assentiri interpretatoribus vetustioribus, qui coniungunt „invideas" cum „quod".

Vs. 77 sqq. Inducit poeta genus illud hominum, quorum studia plane opposita sunt iis, quibus ardent philosophi. Dico genus militum, qui plerique in pace nihil agentes, non nisi voluptatibus dediti, in bello gloriae solius cupidi, nescientes nec curantes quando „Persephone nigram denunciet horam", philosophis, „qui omnia studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem figunt" — ut utar Ciceronis verbis — in cognoscenda veritate, semper ubique ludibrio habent. Libere cavillentur hircosi illi centuriones poetam monentem ac omnes philosophos, qui ex imo pectore illos contemnunt et despiciunt. Quid curant illi viri, qui in rebus altis et sublimibus perquirendis „supercilia subducunt, et barba demittunt, qui tristes docent et pallidi" — ut Seneca ait (ep. 48) — hirsutorum et varicosorum centurionum convicia ac cavillationes? Sapiant miserrimi isti, quod iis satis sit. Solones ac Zenones et tales iis non obstabunt; sed annon umquam milites isti sapientes futuri sint, vehementer dubitandum est. Exclament cum vetere quodam

poeta: „Quid aegrotus umquam somniavit, quod philosophorum aliquis non dixerit"; non curat tales voces verus philosophus, nam probe scit se populo placere non posse nec velle. „Numquam — ita scribit Seneca — volui populo placere, nam quae ego scio, non probat populus; quae probat populus, ego nescio. Quis hoc? inquis. Tamquam nescias, cui imperem. Epicurus. Sed idem hoc omnes tibi ex omni domo conclamabunt, Peripatetici, Academici, Stoici, Cynici. *Quis enim placere potest populo, cui placet virtus?* malis artibus popularis favor quaeritur: similem te illis facias oportet; non probabunt, nisi agnoverint. Multo autem ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quam qualis aliis. Conciliari nisi turpi ratione amor turpium non potest. Quid ergo illa laudata, et omnibus praeferenda artibus rebusque philosophia praestabit? scilicet ut malis tibi placere, quam populo: aut aestimes iudicia, non numeres: ut sine metu deorum hominumque vivas: ut aut vincas mala, aut finias. Ceterum si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si intrante te clamor, plausus, et pantomimica ornamenta obstrepuerint; si tota civitate feminae te puerique laudaverint: quidni ego tui miserear, cum sciam, quae via ad istum favorem ferat?" (ep. 29 in fine).

Non curat igitur philosophus quidcumque conviciorum in se ingerit vulgus, nam „φαῦλος κριτὴς παντὸς καλοῦ πράγματος ὄχλος. δίοπερ ὧν ἂν τῶν ἐπαίνων καταφρονῇς, καὶ τῶν ψόγων καταφρόνει", ut censet Pythagoras.

Et haec citanda puto: „Quid autem stultius homine, verba metuente? Eleganter Demetrius noster solet dicere, eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim, inquit, mea refert, sursum isti an deorsum sonent? Quanta dementia est vereri, ne infameris ab infamibus? Quem ad modum famam extimuistis sine causa: sic et illa, quae numquam timeretis, nisi fama iussisset Numquid detrimenti faceret vir bonus, iniquis rumoribus aspersus?" (Sen. ep. 91 in fine).

Ad verba „gigni de nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti" notandum est, neminem de antiquis philosophis umquam cogi-

tasse de deo mundum ex nihilo creante. Aut unum principium (materiam solam), ut Democritus et Epicurei, aut duo principia rerum, deum ordinantem aeternam materiam, statuerunt.

Vs. 88. Hi, qui sequuntur, 19 versus, quamquam per se pulchri ac veri, carent tamen omni contextu cum praecedentibus, si cum Casaubono aliisque intelligas his verbis responderi centurionibus et torosae iuventuti. Incitat enim poeta vel si mavis monitor stultum, ut vere philosophetur spernatque omnia externa, et comparat eum cum aegro, qui, sicut stultus noster aliquamdiu philosophiae se dedit, sed mox ad stultitiam relapsus est, auctore medico paulisper libidinibus et voluptatibus intermissis, deinde ad vitam deliciis deditam rediit. Post versum 72 poeta orationis concinnitatem minus eo turbat, quod inserit vs. 73—87, quam quod omittit omnes iuncturas, quae necessariae sunt, ut bene intelligatur, quod monere intendit.

Ni fallor haec Persius habuit, quae dicere voluit versibus 63—106: Mi stulte, cito incumbe im studium virtutis. Nam sicut ei, qui aeger est corpore, currendum est ad medicum, ut prius sanetur, quam morbus ingravescat, sic tibi statim confugiendum est ad philosophiam, ne affectus tui animi morbi fiant. „Optimum est ad primum mali sensum mederi sibi, tum verbis quoque suis minimum libertatis dare, et inhibere impetum. Facile est autem, affectus suos, cum primum oriuntur, deprehendere" (Sen. de ira III. 10). Remedium, quod ego tibi praescribo multo minoris constat, quam quod valitudine affecto medicus quidam celeberrimus praescripsit. Converte te modo ad philosophiam, γνῶθι σεαυτὸν (v. p. 72), omnia, quae sunt huius terrae, spernens (vs. 63—76). Ne deterrearis a bono proposito, quod ii, qui voluptatibus indulgent et serviunt, te derideant, sed persevera. Sin redeas ad vitam stultam sive permotus horum miserorum cavillationibus, sive aliis causis, quibus philosophiam negligas vel intermittas, cave, quaeso, ne de te fiat, quod de aegro illo, qui medicum adiens (vs. 88) ei dicit, valetudine nescio quo modo affectus sum; cor mihi palpitat et spiritus contaminatus, non rosam olens, mihi ex faucibus exsurgit; pulsum venarum, quaeso, attingas. Respondit

medicus: quiesce modo mi fili, „nam initia morborum quies curat" (Sen. de ira III. 39). Ante omnia vive frugaliter. Sed ille, postquam tres vel quattuor dies medici dicto audiens fuit, et hanc ob rem multo melius se habet, ab amico quodam ditiore vasculum vini veteris ac exquisiti petit, et balneis utitur. Quo facto valde peccat, nam convalescentibus interdictum est, ne utantur vino et lavationibus. Medico revisenti et dicenti, morbum nondum sanatum esse, quin etiam invaluisse, aeger, qui imo pectore culpae sibi conscius est, respondet sibi multo melius esse, quum eum pudeat confiteri, se relapsum esse ad vitam voluptariam. Pergit tamen medicus interrogare causas. Tandem miser ille stomachatur et convicia in medicum ingerit, qui nihil respondet nisi „perge, tacebo", et illum eodem modo habet, quo sapiens stultum. „Quis enim phrenetico medicus irascitur?" (Sen. de ira I. 14)

„Quis febricantis et a frigida prohibiti maledicta in malam partem accipit? Hunc affectum adversus omnes habet sapiens, quem adversus aegros suos medicus cet.... Scit sapiens, omnes hos, qui togati purpuratique incedunt, valentes coloratosque male sanos esse: quos non aliter videt, quam aegros intemperantes. Itaque ne succenset quidem, si quid in morbo petulantius ausi sunt adversus medentem, et quo animo honores eorum nihilo aestimat, eodem parum honorifice facta" (Sen. de const. sap. 13).

Surgit igitur medicus et aegrum solum relinquit. Hic in turbam voluptatum deinde se inmittens, mox suae dat poenas intemperantiae. Tum veniunt amici, et merita mortui laudant, quem ii *beatum* praedicant, Persius ironice *beatulum* vocat. Pergit poeta: cives romani, paulo ante servi sed a beatulo libertate donati, beatulum pompa ac solemnitate sepeliverunt. Quae res stoico viro plane perinde est; praeferet, si legere datur, exsequias sine praecone, imaginibus, ludis, pompa ac siquid tale est, nam minus molestiarum habet funus tacitum, ut ait Seneca (de tranq. an. 1), qui idem auctor: „Quidam disponunt etiam illa, quae ultra vitam sunt, moles magnas sepulcrorum et operum publicorum dedicationes, et ad rogum,

munera, et ambitiosas exsequias. At mehercule istorum funera, tamquam minimum vixerint, ad faces et ad cereos ducenda sunt" (de brev. vit. in fine).

Quid Persius de *beatitudine* cogitaverit, ex versibus eius elicere non possum. Constat auctore Seneca, „beatum non esse eum, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit: sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum, et excelsum, et mirabilia calcantem. Qui neminem videt, cum quo se commutatum velit: qui hominem ea sola parte aestimat, qua homo est: qui natura magistra utitur, ad illius leges componitur, sic vivit, quomodo illa praescripsit: cui bona sua nulla vis excutit: qui mala in bonum vertit, certus iudicii, inconcussus, intrepidus: quem aliqua vis movet, nulla perturbat: quem fortuna, cum in eum quod habuit telum nocentissimum, vi maxima intorsit, pungit, non vulnerat, et hoc raro. Nam cetera eius tela, quibus genus humanum debellatur, grandinis more dissultant: quae incussa tectis, sine ullo habitatoris incommodo crepitat, ac solvitur" (Sen. ep 45). „Tunc beatum esse te iudica, cum tibi ex te gaudium omne nascetur. Cum in his, quae homines eripiunt (*cupiunt ?*) optant, custodiunt nihil inveneris, non dico quod malis, sed quod velis. Brevem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua perfectum esse iam sentias: Bonum tunc habebis tuum, cum intelliges infelicissimos esse felices" (Sen. ep. 124 in fine).

Talem beatitudinis esse statum Senea ponit, donec erimus inter vivos. Qua conditione tamen post mortem futuri simus, in ambiguo est apud Stoicos. Alii, inter quos caput stoicae rationis, inferos esse, et sedes impiorum a piis secretas censent, alii nullum orcum, nullum locum, ubi scelerati poenas luant, credunt. Cui quaestioni Lipsius his verbis clausulam imponit: At cum isti negant, imo pernegant; an dissentiunt igitur a capite suo Zenone? Non arbitror: neque Zenonem aliud sensisse, quam circa terram in caeno ac sordibus volutari, contrarium naturae igneae, atque hos inferos esse. cet. (Lips. phys. lib. III diss. 14. Vide pag. 22 h. d.)

„Beatulum" nostrum nec vivum nec mortuum inter „beatos"

numerandum esse facile intelligitur. Pulcherrime vitam, qualem degunt stultus et aeger, quos depingit Persius, descriptam invenies apud Senecam in epistola 122.

Finis huius satirae agit de paradoxo „omnes stultos insanire, et omnia vitia in omnibus" Cf. pag. 8. h. d. et Diog. Laert. VII. 124: Πάντας τε τοὺς ἄφρονας μαίνεσθαι. οὐ γὰρ φρονίμους εἶναι, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἴσην τῇ ἀφροσύνῃ μανίαν πάντα πράττειν.

Cf. Cic. tusc. III. 4/9: Omnes perturbationes animi, morbos philosophi appellant; negantque stultum quemquam his morbis vacare. Qui autem in morbo sunt, sani non sunt; et omnium insipientium animi in morbo sunt: omnes insipientes igitur insaniunt.

Senecam de benef. V. 15: .... „omnes stulti mali sunt; qui autem habet vitium unum, habet omnia; omnes autem stulti et mali sunt.

Eundem de benef. V. 17: .... et cupidi omnes (sc. stulti), et maligni omnes, et timidi omnes, illi imprimis qui videntur audaces. cet.

Eundem de benef. IV. 26: Stultus etiam malus est: qui malus est nullo vitio caret: ergo et ingratus est. Sic omnes malos dicimus, intemperantes, avaros, luxuriosos, malignos: non quia ista omnia singulis magna et nota vitia sint, sed quia esse possint: et sunt, etiamsi latent (cf. et Sen. de ben. VI. 26 et 27).

Vs. 107—110: Tange, miser, venas, et pone in pectore dextram:
Nil calet hic. Summosque pedes attinge, manusque:
Non frigent.

vulgo tribuuntur stulto illi, quem perstringit poeta. Tunc vocabulum, „miser" usurpatur ut „ὦ μέλε, ὦ σχέτλιε apud Graecos, et „o! male" apud comicos. Stultus noster, monitori succensens, quod res tam tristes ac lugubres narrat, exclamat: quid ista ad me? aeger non sum; tu ipse tenta, utrum bona utar valitudine necne. Tunc monitor vel Persius: quid ais? te esse sanum! Putasne, quia corpus sanum videtur, te etiam esse mente sana. Hoc autem est, quod tentabimus. „Περὶ κερμάτιον ἀνεξαπάτητος εἶ; ἂν ὁ γείτων σου κληρονομήσῃ, οὐ δάκνῃ;

ὅταν σοι προφάνηται ἀργύριον, μεμελέτηκας ἀποκρίνεσθαι τὴν δέουσαν ἀπόκρισιν, ὅτι οὐκ ἀγαθόν;" (Arrianus); videbimus an vacuus sis avaritia, iracundia, libidine aliis vitiis.

Sed versus 107—110 optime etiam monitori attribui possunt. Ego quidem haec verba ad Persium vel monitorem referri malim, quippe qui usque stultum illum miserum increpet.

Haec igitur mihi poeta sibi velle videtur: Intellegisne, mi stulte, similitudinem, quam narravi? Itane? bene! Nunc tenta pulsum venarum, et explora cordis motionem. Suntne manus et pedes frigidi? Corpusne tuum per omnia firmum et validum est? Itane? Bene! credo. Putasne, quia uteris bona valetudine corporis, te etiam animo valere? cet.

Verbis „visa est.... cor tibi rite salit?" poeta inquirit, num stultus duabus animi perturbationibus, *avaritia* et *lubidine*, liber sit. Sedes affectuum est pectus et cor [48]). Deinde stultum examinat, num laboret *luxuriae* morbo, et ille omnibus hisce percunctationibus pressus et anxius, frigido sudore sudat, et aperte significat se quarto animi morbo, *timore*, affectum esse. Alges pavore, poeta inquit, quamquam modo, o! stulte, affirmasti pedes manusque non algere Et quinto animi morbo, *iracundia*, laboras, nam quum dictis meis te irrito, excandescis ira, tu, qui dixisti „Nil calet hic". Verba edis, quae vel insanissimus omnium insanorum insana esse affirmet.

CAPUT IV.

AD SATIRAM IV.

Persius Platonis dialogum, qui inscribitur „Alcibiades primus", imitatus fingit Socratem loquentem cum Dinomaches subole. Hunc ille suo more ironice interrogat, eique exprobrat temeritatem, quod vixdum adultus iam aggrediatur opus unum omnium difficillimum, gubernare rempublicam.

Quod volunt nonnulli Alcibiadem hic Neronem, Socratem

Persium esse, id mihi vix credibile videtur. Quodsi poeta has gravissimas, quae seni conveniunt partes, sustinere voluit, nimiae arrogantiae accusandus est, utpote qui paucis modo annis imperatore maior est natu. Ego quidem credo a poeta per haec duo nomina nullas certas personas induci. Sumpti sunt ex ingenti copia sapientium et stultorum, Socrates, quo sapientiorem nullum tota antiquitas vidit, Alcibiades, cuius levitas ac temeritas paene in proverbium venit. Contendentibus Persium satiras suas imperfectas [49]) reliquisse, haec satira profecto testimonio esse potest.

Deest series et ordo orationis; argumenta quaedam temere inter se connexa sunt, quum verba ipsa interdum Pythiae responsa obscuritate vincunt. At vel sic tamen perscrutemur siquid habeant hi versus, quod sapiat Stoam.

Ante omnia quaerendum videtur, sitne consessum sapienti vel proficienti capessere rem publicam.

„Epicurus ait: Non accedat ad rem publicam sapiens, nisi siquid intervenerit. Zenon ait: Accedat ad rempublicam nisi siquid impedierit. Alter otium ex proposito petit, alter ex causa. Causa autem illa late patet. Si respublica corruptior est, quam ut adiuvare possit, si occupata est malis: non nitetur sapiens in supervacuum, nec se nihil profuturus impendet: si parum habebit auctoritatis aut virium: nec illum erit admissura respublica, si valetudo illum impediet" cet. (Sen. de otio sap. c. 30).

Πολιτεύεσθαι φασὶ τὸν σοφὸν ἂν μή τι κωλύῃ, ὥς φησι Χρύσιππος ἐν πρώτῳ „Περὶ βίων" (Diog. Laert. VII, 121).

„Cum autem ad tuendos conservandosque homines, hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturae, ut sapiens velit gerere et administrare rempublicam" (Cic. de fin. III. 20/68).

"Ος γὰρ οὖν καθόλου τὴν περὶ βίον ἐπιστήμην κέκτηται, τί ἄλλο ἢ τοῦτον εἶναι δεῖ τὸν δεσπότην" (Arrian. diss. III. c. ult.).

Nec mirum, nam is solus dignus est, qui gubernet, qui didicit maximum atque difficillimum imperium „sibi imperare".

Sed hunc sapientem consummatum haec, in qua nos vivimus, terra, numquam vidit. Iam optimi exempli erit imperator vel

rex vel si qui alius invenietur, qui unum atque solum bonum, virtutem, *petet.* Proficienti igitur hoc munus administrandae reipublicae non negatum est, sed „inspicere debemus primum nosmet ipsos, deinde quae aggredimur negotia, deinde eos, quorum causa, aut cum quibus agendum est. Ante omnia necesse est se ipsum aestimare: quia fere plus nobis videmur posse, quam possumus" (Sen. de tranq. an. 4).

„Aestimanda sunt deinde ipsa, quae aggredimur, et vires nostrae cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandae. Debet enim semper plus esse virium in vectore, quam in onere; necesse est opprimant onera, quae ferente maiora sunt" (Idem 5).

„Quotiens aliquid conaberis, te simul et ea, quae paras, quibusque pararis, ipse metire" (Sen. de ira III. 7).

Tu Alcibiades, qui ambitione incitatus, gloriae ac famae cupidus, alios vis regere, tibi imperare non vales, fige hoc in animo et scito „imperare sibi maximum imperium esse. Doceat te, quam sacra res sit iustitia, alienum bonum spectans, nihil ex se petens, nisi usum sui. Nihil sit illi cum ambitione famaque: sibi placeat. Hoc ante omnia sibi quisque persuadeat, „me iustum esse gratis oportet". Parum est; adhuc illud persuadeat sibi „me in hanc pulcherrimam virtutem ultro etiam impendere iuvet: ut tota cogitatio a privatis commodis quam longissime aversa sit". Non est quod spectes, quod sit iustae rei praemium maius, quam iustum esse. Illud adhuc tibi affige, quod paulo ante dicebam: nihil ad rem pertinet, quam multi aequitatem tuam noverint. Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriae. Non vis esse iustus sine gloria? at mehercules saepe iustus esse debebis cum infamia. Et tunc, si sapis, mala opinio bene parta delectat" (Sen. ep. 113 in fine).

Quum adhuc plane ignarus sis sapientiae, igitur non noris, quid intersit inter bonum et malum, quae omnia parum curas, quin omnibus libidinibus et rebus externis inservias, abstineto tanto opere, quod relinquas aliis, quorum mentes et vires huic muneri non impares sunt.

„Quomodo, aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, ceteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, quum ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediet, non modo imperator, sed liber habendus omnino non erit" (Cic. par. V).

Vs. 20. Dinomaches sum.... cet., ait Alcibiades, cui respondetur a Socrate: per me licet; haud dubito; et si vis, infla buccas ac iacta „formosus sum". Attamen visne scire, quis solus nobilis, qui solus pulcher sit: sapiens, nec quisquam alius. (Vide Lips. diss. 17 lib. III manud., ubi complura simul invenies paradoxa).

Quo in contextu hi versus 19--22 sint cum praecedentibus non intellego. Neque video, quid sit versibus 23 et sequentibus cum Alcibiade Socrateque magistro. Reddunt versum Catullianum (XXII. 21).

Sed non videmus, manticae, quid in tergo est.

(Cf. Phaedr. IV. 6; Hor. sat. II. 3. 299).

„Aliena vitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt", ait Seneca (de ira 2. 28).

Triplex est, Plato in Philebo inquit, sui ignorantia, in opibus, in corpore, in animo. Neglegamus hoc loco primam et secundam, sed noscamus hanc tertiam partem, quae nos a ceteris animantibus distinguit. „Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre: et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Non enim, credo, id praecipit ut membra nostra aut staturam figuramve noscamus. Neque nos corpora sumus: neque ego, tibi haec dicens, corpori tuo dico. Quum igitur, *nosce te* dicit, hoc dicit, *nosce animum tuum*. Nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum, sic ut tributum deo sit" (Cic. tusc. 1. 22/50).

Si hoc feceris, pervenies ad sapientiam, ad virtutem, ad deum. Videbis, quam procul a virtute absis; cognosces vitia tua et te aliis, quos saepe vituperasti, non meliorem esse agnosces. Nunc agimus plerumque ut simulator ille, qui dicit: „ἄδελφε, ἄφες ἐκβάλω τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου", non videns trabem in suo ipsius oculo.

Vs. 43 sqq. Sic nos degimus vitam: vituperantes vituperamur. Praeterea non solum aliis, sed etiam nobis ipsis imponimus. Optimi videri volumus, quin etiam nonnumquam nos optimos credimus; sed specie sumus, re vera animus vitiis refertus est.

„Vides illum Scythiae Sarmatiaeve regem, insigni capitis decorum? Si vis illum aestimare totumque scire, qualis sit, fasciam solve, multum mali sub illa latet. Quid de aliis loquor? Si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipse considera. Nunc qualis sit, aliis credis" (Sen. ep. 80 in fine).

Desine tamen credere iis, qui tibi adulantur, nam „quemadmodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus, quae cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum, et prava laudantium sermo, diutius haeret, quam auditur: nec facile est, animo dulcem sonum excutere; prosequitur et durat, et ex intervallo recurrit. Ideo claudendae sunt aures malis vocibus, et quidem primis. Nam cum initium fecerunt, admissaeque sunt, plus audent" (Sen. ep. 23).

„Illud praecipue impedit (sc. quominus philosophemur, qua via ad virtutem et sui cognitionem pervenitur), quod cito nobis placemus: si invenimus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus. Nec sumus modica laudatione contenti: quidquid in nos adulatio sine pudore congessit tamquam debitum prendimus: optimos nos esse, sapientissimos, affirmantibus assentimur, cum sciamus illos saepe mentiri" Sen. ep. 59).

Donec indulges omnibus omnis generis flagitiis et rebus externis inhias, non est quod aures praebeas populo adulatori. „Εἰ βούλει ἀγαθὸς εἶναι πρῶτον πίστευσον ὅτι κακὸς εἶ" (Epictetus).

Respue quod non es! Te talem praebe, qualis es, nec aggrediere id, ad quod vires tuae non suppeditant; igitur „sutor ne ultra crepidam". Sua quisque ferat onera, sua nec aliena agat negotia Ultimi hi duo versus optime quadrant in eum, qui stultus rempublicam gubernare vult.

CAPUT V.

AD SATIRAM V.

Inter optimas, fortasse optimam hanc satiram esse censendam nemo est, quin lectione peracta facile agnoscat. Omnes ceteras evidentia et perspicuitate sermonis longe superat. Sunt quidem passim voces, quae nubibus et caligine opertae luce, quam afferat ingenium quoddam splendidum, indigent, sed toti parum nocent.

Quum meum non rear singula verba, quasi aurum sit, quas reliquit Persius sententias, in libram imponere, sed multo magis expromere siquid lateat rationis stoicae, multos versus ac voces silentio praeteribo. Casaubonus, Jahnius, alii nubes si non omnes, plurimas certe discusserunt vel propellere conati sunt. Primi igitur, ad quos attendend um mihi videtur, sunt versus 22 sqq., quibus poeta magistro suo optimo carissimo grati animi latebras et recessus recondit. Inspice, exclamat, o! Cornute, vir doctissime, qui doctrina institutus didicisti, utrum, quae dicturus sum, vera sint an simulata, inspice, sodes, quanta meae vitae pars tua sit.

Hic necesse est audiamus, quid Stoici et Cicero et siquis alius stoice locutus est de amicitia cogitaverint. Inter paradoxa, quae nobis affert Laertius, invenies: *λέγουσι δὲ καὶ τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις εἶναι, διὰ τὴν ὁμοιότητα* (Diog. Laert. VII. 124).

Cum quibus conferenda sunt, quae dat Cicero (de amic. V. 18): „Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse". Quod postea repetit dicens „Ita verum fuit illud, quod initio dixi, amicitiam nisi inter bonos esse non posse".

Pergit Diogenes: „*φασὶ δὲ αὐτὴν κοινωνίαν τινὰ εἶναι τῶν κατὰ τὸν βίον, χρωμένων ἡμῶν τοῖς φίλοις ὡς ἑαυτοῖς. δι' αὐτόν τε αἱρετὸν τὸν φίλον ἀποφαίνονται, καὶ τὴν πολυφιλίαν ἀγαθόν*".

Cic. de amic. VI: Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et charitate summa consensio: qua quidem haud scio an, excepta sapientia, quidquam melius homini sit a diis immortalibus datum".

Cic. de fin. III. 21/69: minime vero probatur huic disciplinae (sc. Stoicorum), de qua loquor (sc. Cato), aut amicitiam aut iustitiam propter utilitates asciscі aut probari. Etenim nec iustitia nec amicitia esse omnino possunt, nisi per se expetantur [50]).

Talis autem amicitia tam gravis tam sublimis in hac, quae nos nutrit terra, non reperitur, nam — ut iam ante vidimus — numquam fuit sapiens ille consummatus. Quid igitur? nulla est amicitia in genere humano? Est, si non summa illa, saltem alta et miranda. Nam quemadmodum homines, quamquam sapientia vera ac integra iis negata est, tamen in vicinia eius stare possunt, ita amicitiam pro humana parte colere iis concessum est, dummodo id unum petant: *virtutem.* Necesse est unum habeant scopum, quo contendunt; „idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est", quod fieri non potest, nisi virtus sit finis. „Non potest cuiquam semper idem placere, nisi *rectum*" (Sen. ep. 31); „si vis eadem semper velle, *vera* oportet velis" (Sen. ep. 95). Igitur duo amici non possunt cogitari, nisi ambo unum et idem iter ingrediantur, quod ducit ad virtutem sive sapientiam.

Hanc ob rem Persius et Cornutus amicitiae vinculis obligati esse potuerunt. In hos perfecte quadrant, quae scripsit olim Seneca Lucilio suo: Mihi vero idem expedit, quod tibi: aut non sum amicus, nisi quidquid agitur ad te pertinens, meum est. Consortium rerum omnium inter nos facit amicitia: nec secundi quidquam singulis est, nec adversi. In commune vivitur. Nec potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Haec societas diligenter et sancte observanda

est, quae nos omnes omnibus miscet, et iudicat aliquod esse commune ius generis humani; plurimum ad illam quoque (de qua loquebar) interiorem societatem amicitiae colendam proficit. Omnia enim cum amico communia habebit, qui multa cum homine (Sen. ep. 48).

Quibus adiungas, quae monet idem auctor, ne temere quemvis adhibeas et vinculis tam sanctis tecum coniungas: „Nihil tamen aeque oblectaverit animum, quam amicitia fidelis et dulcis. Quantum bonum est, ubi sunt praeparata pectora, in quae tuto secretum omne descendat, quorum conscientiam minus quam tuam timeas, quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet? Quos scilicet vacuos, quantum fieri poterit, a cupiditatibus, eligemus. Serpunt enim vitia et in proximum quemque transiliunt, et contactu nocent. Itaque, ut in pestilentia cavendum est, ne corruptis iam corporibus et morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quam minime inquinatos assumamus. Initium morbi est, aegris sana miscere. Nec hoc praeceperim tibi, ut neminem nisi sapientem sequaris, aut attrahas: ubi enim istum invenies, quem tot seculis quaerimus? pro optimo est, minime malus" (de an. tranq. 7).

„Omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. Post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. Isti vero praepostere officia permiscent, qui contra praecepta Theophrasti, cum amaverint, iudicant; et non amant, cum iudicaverint. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Tu quidem ita vive, ut nihil committas, nisi quod committere etiam inimico possis: sed quia interveniunt quaedam, quae consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. Fidelem si putaveris, facies. Nam multi fallere docuerunt, dum timent falli: et aliis ius peccandi suspicando fecerunt. Quid est ergo, quare ulla verba coram amico retraham? quid est, quare me

coram illo non putem solum? Quidam, quae tantum amicis committenda sunt, obviis narrant, et in quaslibet aures, quidquid illos urit, exonerant: quidam rursus etiam carissimorum conscientiam reformidant, et, si possent, ne sibi quidem credituri, interius premunt omne secretum. Neutrum faciendum est; utrumque enim vitium est, et omnibus credere, et nulli: sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius" (Sen. ep. 3).

Hoc ultimum in amicitia: „ut unus fiat ex pluribus" (Cic.) poeta noster adeptus esse videtur. Tali consuetudine cum magistro suo usus est Persius, ut essent „animae duae, animus unus" (Sidonius), *μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικοῦσα* (Aristot.).

Vs. 27. Cf. Sen. de benef. VI. 34: In pectore amicus, non in atrio quaeritur; illo recipiendus est, illic retinendus et in sensus recondendus.

Vs. 34 sqq. Lege quae annotavi ad vs. 56—58 sat. III. Vitae nescius error significat imperitiam et ignorationem rerum, qua quis nescius est, utram viam vitae ingressurus sit, laevam facilem atque iucundam quidem sed ducentem ad perniciem, dextram arduam et asperam sed tendentem sub ipsam virtutis arcem. Philosophia magistra vitae, quo et qua eundum sit, docet.

Poetam bona natura praeditum esse apparet ex eo, quod vixdum adultus, quum plerique iuvenes vita voluptati dedita frui et alia agere intendunt, sponte ac libere philosopho praestantissimo ac sapientissimo se excolendum commendavit. Ei igitur accessio ad virtutem facilis aut munita saltem erat; *φύσις δὲ εὐγενὴς μετρίαν ἄσκησιν προσλαβοῦσα ἐπί τε τὸν ἀφθόνως διδάσκοντα ῥᾳδίως ἔρχεται πρὸς τὴν τελείαν ἀνάληψιν τῆς ἀρετῆς* (Zeno).

Vs. 37. Tu Cornute me philosophiam moralem edocuisti. Fuit Zeno Cittiaeus, a quo Stoici originem sumunt, discipulus Cratis thebani, qui auditor erat Diogenis sinopensis. Hic Diogenes audivit Antisthenem atheniensem conditorem scholae cynicae, ipsum discipulum Socratis, qui — ut Lipsii verba describam — ethica introduxit, i e., quod aiunt, de caelo ad terras philosophiam devocavit.

Vs. 37. *regula fallere solers* cet. Multis interpretibus non parvas difficultates attulerunt haec verba, quae Coningtonius [51]) solus recte intellexisse mihi videtur. Is enim vidit Persium his tribus verbis „εἰρωνείαν" latine reddidisse.

Regula sollers τοῦ fallere sive τοῦ ludere homines nihil significat nisi „rationem socraticam" quae est εἰρωνεία. „Socrates autem de se ipse detrahens in disputatione, plus tribuebat iis, quos volebat refellere. Ita quum aliud diceret, atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Graeci εἰρωνείαν vocant" (Cic. Acad. pr. II. 5/15).

Igitur sic interpretor: Ex quo tu o! vir colendissime me adolescentem imperitum instruis philosophia morali, usus ratione, qua nostrum omnium magister uti solebat, disco, quid bonum, quid malum sit; tu ratione tua mores meos pravos emendas.

Vs. 39. *Et premitur ratione animus* cet. Miror, quod Jahnius ne minimam quidem operam consumit, qua haec verba perspicua reddat; obscuri enim sunt ei, qui non quodammodo imbutus est ratione stoica. Videamus, igitur quomodo sint intellegenda. Maxima difficultas latet in vocabulorum arte; nam Stoici nonnumquam promiscue utuntur animo, mente, anima, ratione, deo, mundo, aliis vocibus, quae nonnisi τοῖς μεμυημένοις apertae ac manifestae sunt [52]).

Iam ante vidimus duos simul esse in homine animos, sc animam sive vim vitalem et animum sive animam rationalem (cf. pag. 20 h. d.), hanc aethera purum, illam aethera commistum cum materia. Voce *animi* Persius in hoc versu intelligit partem inferiorem, expertum rationis, cui imperat altera pars, quae est praedita ratione.

„Duplex — ita scribit Cicero de off. I. 28/101 — est enim vis animorum atque natura. Una pars in appetitu posita est, quae est ὁρμὴ graece, quae hominem huc et illuc rapit; altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumve sit. Ita fit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet".

Pars irrationalis, quippe quae commista sit cum materia, propensa est ad malum; ita enim censent Stoici. In materia

latet mali principium; deus cum crearet mundum eiusque partes, omnia bona finxit, sed in illa fuit aliqua vis repugnans et malitiosa. Cf. Senecam (praef. in nat. quaest. in fine): „.... Utrum deus quidquid vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant: et a magno artifice formentur prava multa, non quia cessat ars, sed quia id in quo exercetur (materia) inobsequens arti est?"

Hinc exstiterunt mala interna et externa. Sunt hae quaestiones obscurae et difficiles, de quibus iam egimus in pagina 19 h. d. (Cf. Lips. phys. lib. 1. diss. 14; man. lib. 2. diss. 10).

Igitur animus *laborat vinci* i. e. animus noster duplex et unus secum pugnat, studet ut vincat, et reluctatur. Cf. pag. 89 huius dissert.

Vs. 40. Quemadmodum fictor artis peritus ceram aut argillam ita format, ut faciem et vultus sumant, ita tu, Cornute, disciplina tua perversum mei animi statum correxisti et in bonum transformasti.

Vs. 45 sqq. Parcas etiam fatum dici easque praeesse hominum vitae omnibus notum est. Hic singularis numerus usurpatur pro plurali (cf. Hor. od. II. 16. 37). Ovid. Am. II. 6. 45). *Parca tenax veri* i. e. fatum ineluctabile sive indeclinabilis rerum series). Cf. Plut. lib. 1. de plac. phil. c. 28: „οἱ Στωικοὶ (φασὶν) εἱρμὸν αἰτιῶν, τουτέστι τάξιν καὶ ἐπισύνδεσιν ἀπαράβατον.

Cic. de divin. 1. 55/125: Fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Graeci εἱμαρμένην, i. e. ordinem seriemque causarum, quum causa causae nexa rem ex se gignat. *Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna.* (Vide pag. 17 h. d)[53])

Voce horae hic intellegendum est sidus, sub quo quis nascitur. Eandem igitur habet significationem, quam horoscopus (vid. Forcell. lex. in voce horoscopi). Hoc igitur Persius sibi velle videtur: sine dubio nostra amborum vita plane eadem est et ab uno sidere regitur, et arcte coniuncti sumus amicitia certa et sempiterna. Nam sive fatum sortes tuas et meas pensitans pari lance usum est, quo facto vitam similem et

congruentem degimus, sive sidus exortum hora natalicia eorum, quos fatum destinavit amicos fore, distribuit nobis tamquam geminis eodem modo, quo gemellis illis Castori et Polluci, eosdem casus ferendos.

Concordia fata. Fato hic non intellegitur *necessitas* vel Iupiter ipse, qui fatur, sed id, quod Iupiter effatur, igitur id, quod ratum ac constistutum est. Porro notandum est eos — ut statuunt astrologi — qui sub Geminorum et Librae sideribus nati sunt, easdem affectiones et studia habere; sidus Saturni inimicum et noxium, Iovis amicum et propitium esse; voces *frangendi* et *temperandi* in lingua astrologorum usurpari, hanc pro *miscere*, illam pro *debilitare.* Sed omittamus hos versus obscuros, et Persio fidem habeamus, dicenti se et Cornutum ipsa fati voluntate coniunctos fuisse. Cave tamen ne interpreteris, sidus aliquod suo arbitrio sortes et vitam nostram constituere ac regere. Regunt tantummodo, quatenus fatum ipsum decrevit. (Vide pag. 17 h. d.)

Vs. 61. Conferatur Sen. de brev. vitae c. 15.: Illorum brevissima ac sollicitissima aetas est, qui praeteritorum obliviscuntur, praesentia neglegunt, de futuro timent: cum ad extrema venerint, sero intellegunt miseri, tamdiu se, dum nihil agunt, occupatos fuisse.

Vs. 62. Tu tamen Cornute! animos discipulorum mendis et pravis opinionibus purgas et excolis doctrina stoica. Cf. Cic. tusc. II. 5/13: Cultura autem animi philosophia est: haec extrahit vitia radicitus, et praeparat animos ad satus accipiendos, eaque mandat iis, et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant.

Vs. 64/65. In philosophiam incumbe o! iuvenes et senes, hac duce petite scopum vitae. Quid sit, quaeritis? hoc unum: „sequi naturam", (vide pag. 4 h. d.); hoc unum vobis *necessarium*, hoc solum *viaticum* [54]) in vitae via est; quod si neglexeris, in senectute miseri vitam degatis necesse est. Quid turpius senibus vitia puerorum habentibus? „Tenes utique memoria, quantum senseris gaudium, cum praetexta posita, sumpsisti virilem togam, et in forum deductus es: maius

exspecta, cum puerilem animum deposueris, et te in viros philosophia transscripserit Adhuc enim non pueritia in nobis, sed, quod est gravius, puerilitas remanet: et hoc quidem peius est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum: nec puerorum tantum, sed infantium".

Sic scribit Seneca ad Lucilium (ep. 4); et sibi iam seni, quum maiorem aetatis partem in philosophiae studiis egisset, discendum esse putavit. Idem auctor (ep. 76): Philosophum audio, et quidem quintum iam diem habeo, ex quo in scholam eo, et ab octava disputantem audio. Bona, inquis, aetate. Quidni bona? quid autem stultius, quam quia diu non didiceris, non discere? Quid ergo? idem faciam, quod trossuli et iuvenes? Bene mecum agitur, si hoc unum senectutem meam dedecet. Omnis aetatis homines haec schola admittit: in hac senescamus, hanc ut iuvenes sequamur. In theatrum senex ibo, et in circum deferar, et nullum par sine me depugnabit: ad philosophum ire erubescam? Tam diu discendum est, quamdiu vivas [55]). Nec ulli hoc rei magis convenit, quam huic: tam diu discendum est quemadmodum vivas, quamdiu vivis. Ego tamen hic aliquid et doceo. Quaeris quid doceam? *etiam seni esse discendum.*

In vs. 66 sqq., quibus Persius nobis exprobat procrastinationem, optime quadrant, quae scribit Seneca in ep. 22. Sunt verba tam pulchra, tam vera ut non possim non bonam partem descriptam afferre. „Facile est autem, mi Lucili, occupationes evadere, si occupationum pretia contempseris, illa sunt, quae nos morantur et detinent. Quid ergo? tam longas spes relinquam? ab ipsa messe discedam? nudum erit latus? incomitata lectica? atrium vacuum? Ab his ergo inviti homines recedunt, et mercedem miseriarum amant, ipsas execrantur. Sic de ambitione, quomodo de amica (cf. vs. 161 sqq. huius satirae) queruntur: id est, si verum affectum eorum inspicias, non oderunt sed litigant. Excute istos, qui quae cupiere, deplorant, et de earum rerum loquuntur fuga, quibus carere non possunt: videbis voluntariam esse illis in eo moram, quod aegre ferre ipsos et misere, loquuntur. Ita est, mi Lucili,

paucos servitus, plures servitutem tenent. Sed si deponere illam in animo est, et libertas bona fide placuit: in hoc autem unum advocationem petis, ut sine perpetua sollicitudine id tibi facere contingat: quidni te tota cohors Stoicorum probatura sit? Omnes Zenones et Chrysippi moderata, et honesta, et vera suadebunt. Sed si propter hoc tergiversaris, ut circumspicias, quantum feras tecum, et quam magna pecunia instruas otium: numquam exitum invenies. Nemo cum sarcinis enatat. Emerge ad meliorem vitam, propitiis diis; sed non sic, quomodo istis propitii sunt, quibus bono ac benigno vultu mala magnifica tribuerunt: hoc uno excusati, quod ista quae urunt, quae excruciant, optantibus data sunt. Iam imprimebam epistolae signum: resolvenda est, ut cum sollemni ad te munusculo veniat, et aliquam magnificam vocem secum ferat; et ecce occurrit mihi nescio utrum verior, an eloquentior. Cuius? inquis. Epicuri; adhuc enim alienas sarcinas adorno. Nemo non ita exit e vita, tamquam modo intraverit. Quemcumque vis occupa, adolescentem, senem, medium: invenies aeque timidum mortis, aeque inscium vitae; nemo quidquam habet facti; *in futurum* enim *nostra distulimus.* Nihil me magis in ista voce delectat, quam quod *exprobratur senibus infantia.* Nemo, inquit, aliter, quam quomodo natus est, exit e vita. *Falsum est, peiores morimur, quam nascimur. Nostrum illud, non naturae vitium est;* illa de nobis conqueri debet, et dicere: Quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia, ceterisque pestibus (cf. vs. 132 ad finem usque h. s.); quales intrastis, exite. Percepit sapientiam, si quis tam securus moritur, quam nascitur. Nunc vero trepidamus, cum periculum accessit: non animus nobis, non color constat: lacrimae nihil profuturae cadunt Quid est turpius, quam in ipso limine securitatis esse sollicitum? Causa autem haec est, quod inanes omnium bonorum sumus, quorum in fine vitae desiderio laboramus. Non enim apud nos pars eius ulla subsedit; transmissa est, et effluxit. *Nemo quam bene vivat, sed quam diu, curat:* cum omnibus possit contingese, ut bene vivant; ut diu, nulli". Statim, sine mora dis-

cendum est; nihil differ in crastinum diem, quod hodie facere potes.

„Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
Prima fugit. Subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, et durae rapit inclementia mortis.

Quare *optima?* quia restat quod incertum est. Quare *optima?* quia iuvenes possumus discere, possumus facilem animum, et adhuc tractabilem, ad meliora convertere: quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingeniis, et exercendis per opera corporibus. Quod superest, segnius et languidius est, et propius a fine. Itaque toto hoc agamus animo, et omissis ad quae divertimus, in rem unam laboremus: ne hanc temporis pernicissimi celeritatem, quam retinere non possumus, relicti demum intelligamus. Primus quisque tamquam optimus dies placeat, et redigatur in nostrum; quod fugit, occupandum est cet.... *ideo optimum quemque primum* esse diem, quia subeunt morbi, quia *senectus premit*, et adhuc adolescentiam cogitantibus supra caput est: sed ait (sc. grammaticus, qui legit poetam), Virgilium semper una ponere morbos et senectutem, non mehercule immerito: senectus enim insanabilis morbus est. Praeterea, inquit (idem grammaticus), hoc senectuti cognomen imposuit, tristem illam vocat" (Sen. ep. 108).

Philosophia sit solatium et praesidium „senectuti miserae" propellatque eius dolores, vel minuat saltem ac tolerabiles reddat [56]) (vs. 65).

Vs. 66. Seneca (ep. 117 in fine): Non tam benignum ac liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere: et vide, quam multa etiam diligentissimis pereant.

Tempori parce semper ubique Stoici in ore habebant [57]).

Vs. 73–78. Libertate opus est, non hac, qua „frumentum publicum tam fur quam periurus et adulter accipiunt, et sine delectu morum, quisquis civis est" (Sen. de ben. IV. 28), sed vera ea, quam quisquis sive dominus sive servus sibi potest vindicare. „Libertas proposita est, ad hoc praemium laboratur;

quae sit libertas quaeris? nulli rei inservire, nulli necessitati, nullis casibus: fortunam in aequum deducere" (Sen. ep. 51). „Quaeris, quae sit ista absoluta libertas? non homines timere, non deos: nec turpia velle, nec nimia: in se ipsum habere maximam potestatem. Inaestimabile bonum est, suum fieri" (Sen ep 75). „Magna pars libertatis est, bene moratus venter et contumeliae patiens" (Sen. ep. 123). „Contemptus corporis sui certa libertas est" (Sen. ep. 65 in fine). „Nam corpus hoc animi pondus ac poena est: premente illo urgetur, in vinculis est, nisi accessit *philosophia*: et illum respirare rerum naturae spectaculo iussit, et a terrenis dimisit ad divina. Haec libertas eius est, haec evagatio: subducit interim se custodiae in qua tenetur, et coelo reficitur" (Sen. ep. 65).

Vs. 78. „Philosophiae igitur servias oportet, ut tibi contingat vera libertas. Non differtur in diem, qui se illi subiecit et tradidit. Statim circumagitur" (Sen. ep. 8). Philosophia nos docet, quid sit praecipuum in rebus humanis? Quid sit, quaeris? „Non classibus maria complesse, nec in rubri maris littore signa fixisse, nec deficiente terra ad iniurias aliorum errasse in Oceano, ignota quaerentem: sed animo omne vidisse, et qua nulla est maior victoria, vitia domuisse. Quid est praecipuum? Erigere animum supra minas et promissa fortunae. Nihil dignum putare, quod speres. Quid enim habet dignum, quod concupiscas? quia divinorum contemplatione quoties ad humana recideris, non aliter caligabis, quam quorum oculi in densam umbram ex ex claro sole rediere.

Quid est praecipuum? Posse laeto animo adversa tolerare: quidquid acciderit, sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Debuisses enim velle, si scisses omnia ex decreto dei fieri. Flere, queri, ingemere, desciscere est.

Quid est praecipuum? Animus contra calamitates fortis et contumax, luxuriae non adversus tantum, sed et infestus: nec avidus periculi, nec fugax, qui sciat fortunam non exspectare, sed facere: et adversus utramque intrepidus inconcussusque prodire, nec illius tumultu, nec huius fulgore percussus.

Quid est praecipuum? Non admittere in animum mala con-

silia, puras ad coelum manus tollere: nullum petere bonum, quod, ut ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis amittere: optare, quod sine adversario optatur, bonam mentem: cetera magno aestimata mortalibus, etiamsi quis domum casus attulerit, sic intueri, quasi exitura, qua venerint.

Quid est praecipuum? Altos supra fortuita spiritus attollere: homimis meminisse, ut, sive felix eris, scias hoc non futurum diu; sive infelix, scias hoc te non esse, si non putes (cf. Sen. ep. 9 in fine).

Quid est praecipiuum? In primis labris animam habere. Haec res efficit *non e iure Quiritium liberum*, *sed e iure naturae.* Liber autem est, qui servitutem effugit sui. Haec est assidua servitus, et ineluctabilis, et per diem ac noctem aequaliter premens, sine intervallo, sine commeatu. Sibi servire, gravissima servitus est: quam discutere facile est, si desieris multa te poscere, si desieris tibi referre mercedem, si ante oculos et naturam tuam posueris et aetatem, licet prima sit; ac tibi ipse dixeris: Quid insanio? quid anhelo? quid sudo? quid terram verso? quid forum viso? Nec multo opus est, nec diu. Ad hoc proderit nobis inspicere rerum naturam; primo discedemus a sordidis, deinde animum ipsum, quo magno summoque opus est, seducemus a corpore. Deinde in occultis exercitata subtilitas, non erit in aperto deterior. Nihil autem est apertius his salutaribus, quae contra nequitiam nostram furoremque discuntur, quae damnamus nec ponimus".

Haec verba alta et sublimia, quae Seneca libro III° quaestionum naturalium praemittit, paucis totam ac integram vim omnium, qui sequuntur, versuum reddit.

Vs. 79 sqq At, inquis, nonne mera libertas est praenomen assumere, sponsorem, iudicem, testem esse, verbo civem romanum agere? Nonne Ἐλευθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται, ὃν οὔτ' ἀναγκάσαι ἐστὶν, οὔτε κωλύειν, οὔτε βιάσασθαι· οὗ αἱ ὁρμαὶ ἀνεμποδιστοὶ, αἱ ὀρέξεις ἐπιτευκτικαὶ, αἱ ἐκκλίσεις ἀπερίπτωτοι; (Epict diss. IV. c. 1.)

At, ego inquam, „dictum est ab eruditissimis viris, nisi sa-

pientem, liberum esse neminem. Quid enim est libertas? Potestas vivendi, ut velis. Quis igitur vivit, ut vult, nisi qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisa est? qui legibus quidem non propter metum paret, sed eas sequitur atque colit, quia id salutare maxime esse iudicat: qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter ac libere: cuius omnia consilia resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur, eodemque referuntur: nec est ulla res, quae plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas atque iudicium: cui quidem etiam, quae vim habere maximam dicitur, Fortuna ipsa cedit: sicut sapiens poeta dixit; *suis ea cuique fingitur moribus.* Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. Quod etsi ita esse, pluribus verbis disserendum est: illud tamen et breve et confitendum est, nisi qui ita sit affectus, liberum esse neminem (Cic. parad. V. 1/34.)

Vs. 78 sqq. praebet Persius speciem artis dialecticae. Fingit aliquem, qui nuper servus a domino manumissus est. Ut plerique homines novi vanus et gloriosus est. Iactat sibi esse omnia iura, quae sunt civi romano i. e. libero homini.

Ponit terminum maiorem: Liber est, cui licet vivere, ut vult; et minorem: Mihi licet vivere ut volo; concludit: Liber sum, quin etiam liberior Bruto, quum hic consul liberos suos interficere coactus sit, quibus pater maluisset parcere.

Stoicus quidam, quippe cui sunt *aures bene purgatae*, i. e. qui bene institutus est disciplina syllogismorum, respondet: accipio maiorem, nego minorem. Quid? rogat manumissus noster, mihine, postquam meus, non alienus, liber, non servus ritu legitimo peracto a praetore discessi, mihine, inquam, non licet facere, quidcumque mihi venit in mentem, dummodo non peccem contra leges et instituta reipublicae romanae.

Respondet Stoicus: ausculta, mi bone! duplex est libertas, altera animi, altera corporis. Hanc potest dare praetor cuilibet, etiam stulto, illam autem, quam solus sapiens habet, donare ei negatum est. *Omnes enim stulti servi sunt* [58]).

Vs. 93/94. „tenues differentias, quas exigunt tempora, loca, personae" (Sen. ep. 94), verbo viri honesti officia[59]), quae habent praecepta, non praetoris est, sed philosophi, qui solus tibi potest monstrare viam, qua pervenire possis ad sapientiam i. e. ad veram et solam libertatem, qua acquisita in hac vita tam brevi tam fugace potes vivere ut vis.

Vs. 95. Meliore eventu servum omnium rerum rudem musica instrues, quam praetor stultum vere liberum efficiet. Nam lôngissime abest a ratione humana, ut praetor ea impertiat, quae, nisi philosophus est, ipse nescit. Hoc vetat lex, quae a toto genere humano agnoscitur, naturaque omnibus insita est: hominem imperitum artem, quam ignorat, exercere. Ne ultra crepidam sutor!

Vs. 104—114. Tunc mi bone, quum totam philosophiam, et dogmaticam et paraeneticam didiceris et in praecordia ima demiseris, tunc tu non solum a praetore, qui libertatem corporis dat, sed etiam a Iove ipso, cui veram i. e. animi libertatem acceptam refers, liberatum esse agnoscam. Sin tu, qui paulo ante aeque pessimus eras ac nos omnes, eundem animi statum retinueris, quamquam externa specie honestus ac bonus, verba mea, quae modo edidi „Esto liberque ac sapiens" repeto. Ait poeta: „Tibi recto vivere talo[60]) ars dedit?" Definit Cicero (tusc. II. 4. 12): philosophia est ars vitae. Plut. (de plac. phil. prooem.)[60]): *τὴν δὲ φιλοσοφίαν (οἱ Στωικοὶ ἔφασαν) εἶναι) ἄσκησιν τέχνης ἐπιτηδείου.* Τέχνην statuunt esse *σύστημα ἐκ καταλήψεως ἐμπειρίᾳ συγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ.*

Vs. 119. *Nil tibi concessit ratio: digitum exere, peccas:* i. e. sapientia sese aut de suo tibi nihil largita est. Ponunt Stoici dogma „sapientem omnia recte facere" et hinc „nec digitum temere ab eo exseri". Ut Epictetus[61]) ait: Ἡ *φιλοσοφία φησὶν, ὅτι οὐδὲ τὸ δακτύλιον ἐκτείνειν εἰκῇ προσήκει.* Cf. Lips. man lib. III. diss 15. Consequens igitur est: stultos nihil recte facere, eosque si vel digitum exserunt, quod factum Stoici inter „indifferentia" enumerant, peccare.

Vs. 121. Referendum est ad hunc versum inopinatum;

„omnes stultos insanire, et omnia vitia in omnibus". Seneca de benef. V. c. 15: „Ut vos (Stoici) dicitis, omnes stulti mali sunt: qui autem habet unum vitium, habet omnia". Vide Lips. man. 1 III. diss. 20 et pag. 68 h. d.

Vs. 122. *Haec miscere nefas.* Ut vetustiores Stoici statuunt, nullum medium est inter virtutem et vitium. Cf. Diog. Laert. VII. 127: ἀρέσκει δὲ αὐτοῖς (Stoicis) μηδὲν μέσον εἶναι ἀρετῆς καὶ κακίας· τῶν Περιπατητικῶν μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας εἶναι λεγόντων τὴν προκοπήν. ὡς γὰρ δεῖν φασὶν ἢ ὀρθὸν εἶναι ξύλον ἢ στρεβλὸν, οὕτως ἢ δίκαιον ἢ ἄδικον· οὔτε δὲ δικαιότερον, οὔτε ἀδικώτερον. καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως. Cf. pag. 8. h. d.

Vs. 123. Praeter locos, quos citat Iahnius, Bathyllus commemoratur a Seneca in libro VII quaest. nat. c. 32, ubi philosophus queritur philosophiae nullam esse curam, Pyladis et Bathylli artium multos discipulos, multos doctores inveniri.

Vs. 124 sqq. Tene esse liberum! An putas te, quum liber sis corpore, liberum quoque esse animo [61])? „Gravissima servitus est sibi servire", quod tu facis, quum indulgeas tot affectionibus ac cupiditatibus, dominis tuis. „Alius libidini servit, alius avaritiae, omnes timori. Dabo consularem, aniculae servientem; dabo ancillulae divitem: ostendam nobilissimos iuvenes mancipia pantomimorum. Nulla servitus turpior est, quam voluntaria". Ita Seneca in ep. 47.

Marcus Dama igitur servus manet, quamquam manumissus, nam in voluntariam servitutem concessit i. e. animum in servitutem redegit et redactum habet. Hoc nemo facere potuit nisi ipse, et ab ipso pendet, utrum eum in libertatem velit vindicare necne. „Errat si quis existimat servitutem in totum hominem descendere; pars melior eius excepta est. Corpora obnoxia sunt, et adscripta dominis: mens quidem sui iuris. Quae adeo libera et vaga est, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quominus impetu suo utatur, et ingentia agat, et in infinitum comes caelestibus exeat [63]). Corpus itaque est, quod domino fortuna tradidit. Hoc emit, hoc vendit: interior illa pars mancipio dari non potest. Ab hac, quidquid venit, liberum est" (Sen. de ben. III. 20).

Vs. 130—131. Antiqui credebant omnes venas in iecore principium habere. Erat quasi officina sanguinis, et quia pro affectuum varietate sanguis movebatur, in iecore animi sedem et affectuum posuerunt. Usurpatur iecus pro corde, in quo Stoici affectuum sedem ponunt. Cf. Hor. ep. I. 18. 72. Hor. od. I. 13. 4. Iuven. 1. 45 et 6. 647. Vide pag. 20. et 36. h. d.

Vs. 144. Quomodo fieri possit, ut luxuria et avaritia altera cum altera altercentur non intelligo, quum lego Ciceronem scribentem „ex luxuria exsistat avaritia, necesse est; ex avaritia erumpat audacia" (pro Rosc. Am. 27). At, inquis, Cicero non germanus ac genuinus Stoicus est, et locus, quem citas, sapit linguam causarum patroni. Concedo.

En habes locum inventum apud Senecam, qui magis convenit cum Persii versibus: „In hoc principali (τῷ ἡγεμονικῷ) est aliquid irrationale et rationale. Illud huic servit cet.... Irrationale pars animi duas habet partes; alteram animosam, ambitiosam, impotentem, positam in affectionibus; alteram humilem, languidam, voluptatibus deditam" (ep 92).

In „principali" affectus sedem habere iam vidimus (pag. 20. h. d.). Fit irrationale τὸ ἡγεμονικὸν si ratio vincitur ab affectibus [64]). Sic Lipsius alicubi annotat: „non seorsim habitant affectus et animus, neque item ratio: sed animus haec duo velut hospes excipit, modo rationi mancipatus, modo affectui. Mutatur cum illis: in melius, si ratio, in peius molliusque, si affectus occupavit". Idem scriptor (man. diss. VII): Unus, inquit (Plutarchus) animus atque una rationalis pars, modo ad melius tendit et *ratio* dicitur, modo ad peius, et est *affectus*. Cf. pag. 78 h. d.

Partem irrationalem, quam supra commemoravi, positam in affectionibus intelligit τὸ θυμικὸν (animosum illud et irritabile), τὸ παθητικὸν quoque vocatum, alteram voluptatibus deditam τὸ ἐπιθυμητικόν (concupiscens). Pergit Seneca in ep. 92: „Illam effrenatum, meliorem tamen, certe fortiorem ac digniorem viro, reliquerunt (sc. Epicurei): hanc necessariam beatae vitae putaverunt enervem et abiectam" [65]).

De avaritia rixante cum luxuria etiam Seneca mentionem

facit in epistola 56, in qua demonstrat „silentium in studium seposito non tam necessarium esse, quam videtur" et magis optandum esse silentium internum. Scribit: „Animum enim cogo sibi intentum esse, nec avocari ad externa. Omnia licet foris resonent, dum intus nihil tumultus sit, dum inter se non rixentur cupiditas et timor, dum *avaritia luxuriaque non dissideant, nec altera alteram vexet.* Nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt?"

Stoici quum ponant „peccata aequalia esse", sequitur ut omnes affectus, a quibus peccata oriuntur aeque damnandi sint. Quae tamen Seneca praebet legenda, nobis persuadent alios turpiores esse aliis. Expressis verbis nos docet philosophus ille in capite 6°. disquisitionis suae de brevitate vitae: „In primis autem et illos numero, qui nulli rei, nisi vino ac libidini vacant; nulli enim turpius occupati sunt; ceteri, etiam si vana gloriae teneantur, speciose tamen errant. Licet *avaros* mihi, licet vel iracundos enumeres, vel odia exercentes iniusta, vel bella: omnes isti virilius peccant; in Venerem [66]) ac libidinem proiectorum inhonesta labes est".

Qui dedit se avaritae *virilius* igitur peccat, quam is, qui luxuriae obtemperat. Avaritia igitur ponenda mihi videtur in ea parte irrationalis partis, quod vocatur *τὸ θυμικόν* sive irascens. Hinc bilis *masculus* dicitur. Notissimum est bilem saepe usurpari pro ira, et insaniam ex ira oriri. Hanc ob causam verba „calido sub pectore cet. urna circutae" sic interpretanda mihi videntur: tantane insania te occupavit, ut ea nullo modo possit sanari?

Bilem (iram) sub pectore tumescere, et pectus calidum vocari, dicta sunt non aliena stoico ore. Scribit enim Seneca (de ira II. 19): „volunt itaque quidam ex nostris (Stoicis) iram in pectore moveri, effervescente circa cor sanguine. Causa cur hic potissimum assignetur irae locus, non alia est, quam quod in toto corpore calidissimum pectus est". Totam hanc avaritiae et luxuriae fabellam inducit Persius, ut ostendat omnes, qui non didicerunt sibi imperare, qui igitur non instituti sunt doctrina, quae sola ducit ad virtutem i. e. ad summam felicitatem,

semper ubique secum controversiam habere, quid agant, quid sectentur; et hanc ob rem miseros esse.

Vs. 157—160. Noli putare te, quum semel obstiteris affectibus, iam liberum esse. Sicut canis, qui diu luctatus tandem catenam abrumpit, sed magnam eius partem secum trahit, qua facile comprehendi et ad dominum reduci potest, ita tu, qui quidem semel vel bis vitia vicisti, sed eorum semina non radicitus ex animo eruisti, quae ut catenam tecum geris, in ea vitia facile relaberis. Pristini tui domini, affectus, catenam hanc arripient et totum te in servitutem reducent.

Similia praebet Seneca (de vita beata, 16 in fine): „Sed ei, qui ad virtutem tendit [67]), etiam si multum processit, opus est tamen aliqua fortunae indulgentia, adhuc inter humana luctanti, dum nodum illum exsolvit et omne vinculum mortale. Quid ergo interest? quod alii alligati sunt, alii adstricti, alii districti quoque. Hic, qui ad superiora progressus est, et se altius extulit, laxam catenam trahit, nondum liber, iam tamen pro libero".

Simillimus cani illi, qui vinculi rupti maiorem partem secum trahit, est Chaerestratus. Pulchra meretrix, Chrysis nomine, eum tenet amore captum. Aliquando tamen ille vincula rumpere studet, sive quod ab ea deceptum se putet, sive quod aliquo impulsu ad corrigendam vitam moveatur. Davus, quod dominus se ad meliorem vitam velle redire testatur, ei gratulatur. Tunc ille, cuius in animo amor erga dominam sui cordis cum cogitationibus melioribus luctatur: putasne, Dave, Chrysidem lacrimaturam esse, quum sentit se a me desertam esse. Davus, qui herum suum plane pernovit, respondit: nugas edis, mi here! Chrysis non plorabit, nam probe scit te ad ipsam rediturum esse. Eam non invenies lacrimas fundentem: castigaberis ab ea. Desine simulare leonem captum, qui omnes nervos contendit, ut plagam frangat. Nunc, quum es apud te domi absente domina, fortis et audax es, et magnis uteris verbis. Sin illa te vocabit, nulla tibi erit mora, non cunctaberis sed dices: quid mihi faciendum est? ne nunc quidem, quum arcessit me, eam adibo? Dico tibi mi here, non redibis

ad eam, ne tunc quidem, quum ultro supplicat, si certe non corpus tantum sed et animum liberum extulisti, si ne minimum quidem semen amoris erga eam in animo tuo superest. Subintellegendum est: sed, quum pro certo habeam te affectum non deposuisse, non dubito, quin amicae tuae dicto audiens sis.

Vs. 174. Persius pectus digito monstrans exclamat: Hic, in pectore, est, quem [68]) quaerimus! In animo enim latet libertas, ille in pectore est positus (Cf. Lips. phys. lib III. diss. 18). „Quid tibi opus est ut sis bonus? velle. Quid autem melius potes velle, quam eripere te huic servituti, quae omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremae, et in his sordibus nata, omni modo exuere conantur? Peculium suum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant: tu non concupisces quanticumque ad libertatem pervenire, qui te putas in illa natum? Quid ad arcam tuam respicis? emi non potest. Itaque in tabellas vanum coniicitur nomen libertatis: quam nec qui emerunt, habent, nec qui vendiderunt. Tibi des oportet istud bonum, a te petas" (ep. 80 Sen.).

Vs. 176. Putasne ambitiosum esse liberum? „Relinque ambitum; tumida res est, vana, ventosa nullum habet terminum; tam sollicita est, ne quem ante se videat quam ne post se alium. Laborat invidia quidem duplici" (Sen. ep. 85). „Habet hoc vitium omnis ambitio: non respicit. Nec ambitio tantum instabilis est, verum cupiditas omnis: quia incipit semper a fine" (ep. 73 Sen.).

Qua in parte vs. „At cum Herodis cet." cohaereant cum praecedentibus, non video. Iam vidimus in satira II Stoicos superstitionem valde damnasse. Lege, quae ibi annotavi. Religiones Isidis, Cybeles, Iudaica, Persii aetate Romae valde florebant, et multos numerabant sectatores. Philosophi, praesertim Stoici, eos superstitiosos despiciebant, et Iudaeos cum Christianis et eos, qui Isidem, Cybelen vel quemvis alium deum venerabantur, uno ordine habebant. (Cf. Plinii epistolam 96 ed. Teubn.).

CAPUT VI.

AD SATIRAM VI.

Huius satirae argumentum est: ne congere opes terrenas; vive contentus iis, quae habes; utere nec abutere re familiari. Haec ratio non repugnat disciplinae stoicae, quae nemini interdicit, quominus utatur rebus suis, dummodo earum sit dominus, non servus.

Vs. 10. *Cor iubet hoc Enni* cet. Hic versus mihi non referendus videtur ad psychologiam stoicam, ut nonnulli volunt. Multo magis est mera metonymia, quae nullo modo postulat, ut nodum quaeramus in scirpo. Sic hunc versum intellego: Ita Ennius loquitur ex intimo corde, ubi, sepositis nugis Pythagoreorum, veram sententiam aperit.

Quia Stoici non credebant animas migrare in corpora — nam nulli Stoicorum scriptores idonei auctore Lipsio hac in re Pythagoreis assentiuntur — fabellas tales, quales de Phythagorae aliorumque μεταμορφώσει circumferebantur, deridebant. De Homero transfigurato in pavonem, deinde in Pythagoram, postremo in Ennium vide Iahn (pag. 215). Diog. Laert. lib. VII. 4. 5. aliam μετεμψύχωσιν tradit.

Vs. 12. *Hic ego securus vulgi* cet. Hic, in praedio meo, Persius inquit, vitam dego liberam ab ambitione, avaritia omnibusque eius generis affectibus; hic non curo sermones et rumores vulgi. Si legis Senecam, non semel vel bis, sed passim locos invenies, quibus laudat secessum a turba vulgi. „Sanabimur, inquit, si modo separemur a coetu: nunc vero stat contra rationem, defensor mali sui, populus" (de vita beata c. 1).

„Quidnam tibi vitandum praecipue existimes, quaeris? turbam. Nondum enim illi te tuto commiseris. Ego certe confiteor imbecillitatem meam. Numquam mores, quos extuli, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur: aliquid ex his, quae fugavi, redit. Quod aegris evenit, quos longa imbecillitas usque eo affecit, ut numquam sine offensa proferantur, hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica est

multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Utique quo maior est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est" (Sen. ep. 7).

Sed vita talis, quae degitur procul ab hominum societate si utilis non necessaria est ad philosophandum; „cum hac persuasione vivendum est: non sum uni angulo natus: patria mea totus hic est mundus. Quod si liqueret tibi, non admirareris, nil adiuvari te regionum varietatibus, in quas subinde priorum taedio migras. Prima enim quaeque placuisset, si omnem tuam crederes. Non peregrinaris, sed erras et ageris, ac locum ex loco mutas: cum illud, quod quaeris, Bene vivere, omni loco positum sit. Numquid tam turbidum fieri potest, quam forum? ibi quoque licet quiete vivere, si necesse sit. *Sed si licet disponere se, conspectum quoque et viciniam fori procul fugiam;* nam ut loca gravia, etiam firmissimam valetudinem tentant: ita *bonae quoque menti, necdum adhuc perfectae, et convalescenti sunt aliqua parum salubria.* Dissentio ab his, qui in fluctus medios eunt, et tumultuosam probantes vitam, quotidie cum difficultatibus rerum, magno animo colluctantur. Sapiens feret ista, non eliget: et malet in pace esse, quam in pugna" (ep. 28).

Vs. 18. Lege quae annotavi ad vm. 45 sat. V.

Vs. 25 sqq. *Messe tenus propria vive.* Quid haec verba significent non video. Velim cum Iahnio explicare vocem *tenus* „usque ad finem, quoad suppetunt". Sed praeterea vox „propria" mihi obscura videtur. Quid si legimus „prima"? [69]) Poeta enim monet, ne quis sibi congerat opes, aut copiam cuiusvis generis accumulet, priusquam primos capitis fructus consumpserit. Eadem fere mente loquitur in satira 3 (vs. 73), nam ibi damnat avaritiam causarum patronorum, quorum cellae penariae adeo confertae sunt omnium generum cibis, ut hi prae copia putrescant.

Ne habeat quis plus quam satis est. Quemadmodum calceus non debet maior esse quam pes, ita non modus opum amplior naturalibus corporis desideriis, ut Epictetus ait. Fruere prima

messe et emole frumentum in granariis conditum. Hoc consume, quoad suppeditat, et interim te iterum confer ad laborem; mox *altera* messis virescit, quae priore consumpta te nutriat atque sustentet. Noli ullas excusationes afferre, quasi officia aliqua te prohibeant, quominus ita agas. Ne dicas: necesse est me parce vivere, nam amicus meus omnia naufragio amisit. Quid habeo, quod ei dem, si omnia consumam, quin etiam consumpserim? Respondet Persius: nil refert; tunc largire aliquid de messe, quae est in agro. Neve afferas, te vereri, ne heredes tui in sepultura tua minus curae ponant, siquid de tuo detraxeris.

„Facilis iactura sepulcri", canit Virgilius (Aen. II. 646), cuius fautor et amicus Maecenas: „Nec tumulum curo; sepelit natura relictos", ut ait Seneca in epistola 92, qui scriptor in eadem paulo ante monet: „Ut ex barba capillos detonsos negleximus, ita ille divinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an ferae distrahant, an terra contegat, non magis ad se iudicat pertinere, quam secundas ad editum infantem. Utrum proiectum aves differant, an consumatur

— canibus data praeda Latinis,

quid ad illum? Qui tunc quoque, cum inter homines est, nullas minas timet: ullasne timebit post mortem minas eorum, quibus usque ad mortem timeri parum est? Non conter(r)et, inquit, me, nec uncus, nec proiecti ad contumeliam cadaveris laceratio, foeda visuris. ***Neminem de supremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo, ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit***".

„Tabesne cadavera solvat,
An rogus, haud refert; placido natura receptat
Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent"
(Lucan. l. VII. vs. 810 sqq.).

Vs. 37 sqq. Te impune facere putas, quod rem familiarem non totam ac integram reliquisti? Sic loquitur heredipeta, et

Bestii, quum exsecrant philosophos e Graecia oriundos, addunt: Nunc moris est Romae laute vivere et consumere opes, ex quo venit in nostram urbem doctrina hodierna, quam sapientiam vocant isti magistri exotici, quae non sapientia est, nam nihil in ea acuminis et ingenii est. At mehercule non soli divites, quin etiam sordidissimi rustici cibos simplices miscent et vitiant condimentis varii generis!

Vs. 51. Non adeo, inquis, tuam hereditatem. Sic respondet heredipeta; nam veretur ne populi vel imperatoris inimicitias sibi contrahat, si se ostendat cupidum eorum, quae Persius iis voturus est.

Alii tamen coniungunt: „Non adeo, inquis" cum versu sequente, et verborum vim varie interpretantur. Quid significent, ingenue fateor me non intelligere. Imprimis me vexat ager ille exossatus.

Vs. 61. Hic versus praebet locutionem allegoricam desumptam a festo, cui inditur nomen λαμπαδηδρομία. Duplex huius cursus fuisse genus Krause (Theagen. I. pag. 219 sqq.) auctore Iahnio tradit. Ni fallor ad hoc genus spectat versus Persii: complures iuvenes ab ara Promethei in Academia ad urbem decurrunt. Unus eorum gestat facem accensam, quacum non exstincta ad scopum pervenire conatur. Ceteri eum persequuntur. Quum quis autem eum assecutus est, poscit facem, ut ipse defessus invicem tertio tradat, qui quarto, deinde alius alii, donec aliquis victor scopum attigerit. Comparat poeta vitam cum λαμπαδηδρομία et facem cum res familiari. Ex verbis, quibus utitur Persius, apparet heredipetam iam longius in vitae via progressum esse quam eum. Fortasse poeta his versibus aliquem ex propinquis suis, vel alium nobis ignotum heredipetam, qui cupidus erat poetae opum, oblique perstringit. Quomodo res se habeat, non video. Nulla interpretatio nec mea nec quam alii afferunt mihi valde placet. Verba et sententia obscura sunt, saltem videntur.

Vs. 63 sqq. „Non patitur — exclamat Seneca — aviditas quemquam esse gratum, numquam enim improbae spei, quod datur, satis est" (de ben. l. II c. 27).

Vs. 68 sqq. *Nunc, nunc impensius unge.... venter.* Hi versus valde offendunt Nisardum[70], qui putat tales voces parum decere os stoicum; scribit: „Cette sortie est plutôt d'un bon vivant que d'un Stoicien. Perse a jeté son manteau et sa barbe postiche, et il s'évertue comme un écolier qui sort de classe. Cependant tout ce dialogue (Sat. VI) que j'ai analysé et réduit aux principales idées, est, en beaucoup d'endroits, pénible et entortillé. La bonne veine du poête ne peut se faire librement jour à travers les habitudes pédantesques de l'école; on y sent la gêne et la contrainte, on dirait que le pauvre initié a fait un mauvais coup, en s'ébattant jusqu' à s'imaginer qu'il est devenu dépensier et homme de plaisir. Il semble qu'il craigne d'être aperçu par l'austère Chrysippe au moment où il brûle en cachette un grain d'encens idolâtre sur les autels d' Epicure" (p. 292).

Sic Nisardus ut plerumque scitius et elegantius quam verius Persium et Stoam percenset. Videtur esse eorum, qui fabellis et nugis, quae de summis philosophis circumferuntur (p. 274 sqq.), credunt. Si ullam vel mediocrem operam, ut pernosceret rationem stoicam, dedisset, numquam disquisitionem suam facetam quidem sed levem scripsisset.

Vs. 75. Subito et inopinato poeta satiram claudit verbis plenis summae indignationis, quibus exsecratur avaritiam. „Congeratur in te, quidquid multi locupletes possederunt: ultra privatum pecuniae modum fortuna te provehat, auro tegat, purpura vestiat, et eo deliciarum opumque perducat, ut terram marmoribus abscondas, et non tantum habere tibi liceat, sed calcare divitias: accedant statuae et picturae, et quidquid ars ulla luxuriae laboravit: maiora cupere ab his disces. Naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia, ubi desinant, non habent. *Nullus enim terminus falso est*" (Sen. ep. 16).

Stoicos, imprimis Chrysippum valde coluisse dialecticam, supra iam dixi; vid. pag. 23 h. d., ubi obiter attigi nonnumquam argumenta et materias subtiles ingenii acuendi causa in scholis exponi solitas esse. His interdum Stoicos quosdam nimiam operam tribuisse nemo est qui neget. Cf. Sen. ep. 108: „phi-

losophia facta philologia", Sen. ep. 111, qua vituperat cavillationes sive sophismata; Sen. epp. 117, 49, 48, quibus captiunculas et spinas dialecticae artis damnat.

Ad artem subtilem interrogandi pertinet genus quoddam, quod Graeci „σωρείτην" vocant, Latini „acervum" verterunt. Ulpianus in lege 177 de verborum significatione soritem [71]) sic definit: „Natura cavillationis, quam Graeci σωρείτην appellaverunt, haec est, ut ab ea ab evidenter veris, per brevissimas mutationes, disputatio ad ea, quae evidenter falsa sunt, perducatur". Hoc genus cavillationis nomen accepit ab hac interrogatione:

„Οὐχὶ τὰ μὲν δύο ὀλίγα ἐστίν; οὐχὶ δὲ καὶ τὰ τρία; οὐχὶ δὲ ταῦτα μέν; οὐχὶ δὲ καὶ τὰ τέτταρα; καὶ οὕτω μέχρι τῶν δέκα. τὰ δὲ δύο ὀλίγα ἐστί. καὶ τὰ δέκα ἄρα

Ut finitorem acervi inveniret, Chrysippum multum sed frustra sudasse fama tradit. Hanc ob causam Persius ultimo ultimae satirae versu hoc significat: Si certum terminum statueris congeriei propositionum in infinitum fere abeuntium, tunc finis erit avaritiae et cupiditati.

FINIS.

ANNOTATIONES.

[1]) Principes huius sectae sunt Zeno, Chrysippus, Cleanthes, Antipater, Panaetius, Posidonius, alii, quorum vitas atque dogmata descripta invenies apud Lipsium (manud. lib. I. diss. 10).

[2]), [3]), [4]), [5]) Vide, quae in pag. 51 et 52 e Senecae scriptis excerpsi. In linea 26 pag. 52 verba „pag. 6" corrigenda sunt in „pag. 4".

[6]) Vide ad [19]) in pag. 14, et quae ann. de dei providentia in pag. 27—30.

[7]) Vide l. 28 sqq. pag. 33.

[8]) Vide l. 28 pag. 87.

[9]) Vide l. 32 sqq. pag. 33.

[10]) Vide l. 24 pag. 36.

[11]) Vide Cic. de fin. IV. 19/55, et Diog. Laert. VII. 125.

[12]) Cf. Cic. de fin. IV. 23/64, parad. III; Diog. Laert. VII. 124—127; Stob. ecl. II. 116, 120, 124, 198; Plut. de rep. Stoic. 13; de forte Alex. I. 332 D; de aud. poet. 6.

[13]) Vid. l. 12 sqq. pag. 61.

[14]) Vide l. 27 sqq. pag. 35.

[15]) Vide l. 25 sqq. pag. 26 et l. 7 sqq. pag. 33.

[16]) Vide l. 20 sqq. pag. 89.

[17]) Cf. Cic. parad. III; de fin. IV. 27/74 usque ad finem huius libri; pag. 90, l. 10 h. d.

[18]) Vide l. 33 sqq. pag. 56 et Sen. ep. 65.

[19]) Vide pag. 4 ad [6]) et l. 6 sqq. pag. 28.

[20]) Vide l. 29 sqq. pag. 27.

[21]) Vide l. 30 sqq. pag. 29.

[22]) Cf. Virg. Aen. VI. vs. 724 sqq.:
Principio caelum ac terram camposque liquentes
Lucentemque globum Lunae Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
Igneus est ollis vigor et caelistis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant
Terrenique hebetant artus moribundaque membra. cet.

[23]) Vide pag. 24.

[24]) Vide l. 29 sqq. pag. 36.

[25]) Cf. Plut. de plac. Stoic. l. 5. c 1: Πλάτων καὶ οἱ Στωικοὶ τὴν μαντικὴν εἰσάγουσι κατὰ τὸ ἔνθεον, ὅπερ ἐστὶν ἐνθουσιαστικόν· κατὰ θειότητα τῆς ψυχῆς, ὅπερ εἶπεν ἐνθουσιαστικόν. οὗτοι τὰ πλεῖστα μέρη τῆς μαντικῆς ἐγκρίνουσιν.

[26]) Vide l. 4 sqq. pag. 48.

[27]) De ratione sive animo e stellis oriundo, i. e. ex aethere puro, vide Lips. diss. 8 lib. III phys., ubi complures locos laudatos Senecae et Ciceronis invenies

[28]) Cf. Diog. Laert. VII. 157: μέρη τῆς ψυχῆς λέγουσιν ὀκτώ. τὰς πέντε αἰσθήσεις, καὶ τοὺς ἐν ἡμῖν σπερματικοὺς λόγους, καὶ τὸ φωνητικόν.

[29]) Vide ad [6]) in pag. 4 et ad [19]) in pag. 14.

[30]) Cf. Sen. de clem. I. 7: „.... Ecquis regum erit tutus, cuius non membra aruspices colligant? Quod si dii placabiles et aequi, delicta potentium non statim fulminibus persequuntur cet".

Bidental proprie dicitur τόπος κεραυνοπλήξ. Persius hoc loco ipsum hominem κεραυνοπλῆγα, bidental, vocat. Cf. Festum.

[31]) Vide pag. 11 ad [14]) et l. 26 pag. 32.

[32]) Vide l. 2 pag. 43.

[33]) Vide pag. 4 ad [5]). „De ratione stoica in Persii satiris apparente" diss. phil. scripsit F. Knickenberg. Monasterii typ. J. Kriek 1867; vide h. op. pag. 24.

[34]) Vide Sen. ep. 50, et pag. 48. h. d.

[35]) Cf. Cic. acad. post. I. 10/38: „Quumque perturbationem animi illi (superiores) ex homine non tollerent, naturaque et condolescere, et concupiscere, et *extimescere*, et efferri laetitia dicerent, sed ea contraherent, in angustumque deducerent, hic (Zeno) omnibus his, quasi morbis, voluit carere sapientem". Cic. tusc. disput. IV. 7/14: „metus, opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur"; et paulo infra: „sub metum autem subiecta pigritia, pudor, terror, timor, pavor, examinatio, conturbatio, formido".

[36]) Vide Lips. manud. lib. III diss. 17: „solum sapientem esse nobilem".

[37]) Persiana scr. dr. I. van Wageningen in progr. curs. 1891—1892 gymn. Groning. Vide pag. 24 huius op.

[38]) Pythagoras ait: *κακὰ μείζω πάσχει διὰ τοῦ συνειδότος ὁ ἀδικῶν βασανιζόμενος, ἢ ὁ τῷ σώματι καὶ ταῖς πληγαῖς μαστιγούμενος.*

[39]) Polybius in fragmentis: *Οὐδεὶς οὕτως οὔτε μάρτυς ἐστὶν οὔτε κατηγόρος δεινὸς ὡς ἡ σύνεσις ἡ κατοικοῦσα ταῖς ἑκάστων ψυχαῖς.* Tertullianus: „Nullum maleficium sine formidine est, quia nec sine conscientia sua.

[40]) Cf. pag. 98 operis supra dicti.

[41]) Iamblichus: *Καθάπερ τῷ ὑποπύῳ βέλτιον τὸ καίεσθαι, τοῦ διαμένειν, οὕτω καὶ τῷ μοχθηρῷ τὸ τεθάναι τοῦ ζῆν.*

[42]) Cf. Pers. sat. V. vs. 62: *Ac te nocturnis iuvat impallescere chartis.* Cornutus Persii magister ait pag. 231. in Eud. p. 10: *Πολλὴ δὲ ἐν τῇ νυκτὶ ἡσυχία πανταχοῦ, καθάπερ ἐν ταῖς ὕλαις, καὶ ἐν ταῖς ἐρημίαις ἐστίν.*

[43]) Hoc loco antiquior forma litterae Y cogitanda est (cf. Jahn pag. 156); huius litterae figura duplicem vitae cursum Pythagoras expressisse fertur. Per sinistrum cornu latius itur ad vitia, per dextrum angustius ad virtutem. Porro notandum est Pythagoram, oriundum e Samo apud omnes omnium temporum philosophos in summo honore fuisse. Praesertim Stoici eum colebant, e. g. Sextius et Sotion, Senecae praeceptor. Cf. Sen. ep 49, ep. 108; Lips. manud. l. 1. d. 6.

[44]) Cf. pag. 5. h. d.

[45]) „Contemmite mortem, quae vos aut *finit* aut *transfert*"

i. e.: morte aut animae *pereunt* aut *ad sidera sua eunt*. Cf. pag. 21 in fine. Notandum est Stoicos hac in re non omnes idem sensisse. Stoicorum antiquiorum alii omnium animos, alii sapientium modo ad mundi conflagrationem permansuros credunt; omnes tamen consentiunt non statim cum morte animos aetheri si miscere; cf. Diog. Laert. VII. 156, 157; Cic. tusc. disp. I. 31, 32.

Qui tamen recentiores sunt, in quibus Seneca et Antoninus, hi non semper sibi constant; nunc dicunt animum post mortem perire, nunc statuunt eum permanere, nunc negant quidquam huius rei pro certo posse affirmari; cf. Antonin. II. 17; III. 3; IV. 21; V. 4, 13; VII. 32; VIII. 25, 58. Sen. ep. 65, 71, 102, 117; cons. ad. Marc. 26; ad. Polyb. 27.

[46]) Cf. pag. 9 ad [13]) et Cic. de fin. III. 18/60

[47]) Cf. Sen. de provid. 6.

[48]) Galenus de dogm Hippocr. II. fol. 123: ἅπαντες ἄνθρωποι τῶν τῆς διανοίας παθῶν αἰσθάνονται κατά γε τὸν θώρακα καὶ τὴν καρδίαν. De affectibus vide etiam pag. 11 et 36 h. d.

[49]) Vide Prob. Val. de Persii vita.

[50]) Epicurei enim ponunt amicitiam utilitatis causa adscisci.

[51]) The satires of A. Persius Flaccus by John Connington, M. A., Oxford 1874.

[52]) Vide pag. 15, 29, 30. Cf. Sen. quaest. nat. lib. III. c. 45, ubi dicit philosophus omne nomen Iovi convenire. Vocat illum custodem rectoremque universi, animum ac spiritum, mundani huius operis dominum et artificem, fatum, causam causarum, providentiam, naturam, mundum.

[53]) De fato vide Diog. Laert. VII. 149; Cic. de fato c. 144, 147; Cic. de divino, in quo libro passim invenies, quae placita sunt Stoicorum; Plut. de plac. phil. lib. I. c. 25—29; ante omnes Lips. phys. lib. I. c. 12.

[54]) Cf. Diog. Laert. (in vita Biantis) lib. I. 86: Ἐφόδιον ἀπὸ νεότητος εἰς γῆρας ἀναλάμβανε σοφίαν· βεβαιότερον γὰρ τοῦτο τῶν ἄλλων κτημάτων.

[55]) Plat. in amat: Τί οὖν ἐστιν φιλοσοφεῖν; τί δ᾽ἄλλο γε, ἢ κατὰ τὸν Σόλωνα; Σόλων γάρ που εἶπε· „Γηράσκω δ᾽ἀεὶ πολλὰ διδασ-

κόμενος". καὶ ἐμοὶ δοκεῖ ἀεὶ οὕτω χρῆναι, ἕν γέ τι μανθάνειν τὸν μέλλοντα φιλοσοφήσειν, καὶ νεώτερον ὄντα καὶ πρεσβύτερον.

[56]) De procrastinatione reprehensa vide Sen. de brev. vit. 9; Sen. ep. 1.

[57]) Vide Aeg. Menagii observationes, segm. 23: „Apparet ex Stoicorum libris, ut vere ad Persii sat. V. Casaubonus observabat, familiare in ore fuisse praeceptum *Parce tempori*". Cf. Sen. ep. 88: „Adeo mihi praeceptum illud salutare excidit: *Tempori parce?*"; ep. 94: „Qualia sunt illa, aut reddita oraculo, aut similia: *Tempori parce*; Te nosce. cet."

[58]) De hoc dogmate vide Lips. manud. lib. III diss. 12; Cic. de fin. III. 75: Diog. Laert. VII. 121.

[59]) De officiis, quae dividuntur in κατορθώματα et καθήκοντα vide Diog. Laert. VII. 108, 109; Cic. de off. I. 3/8; de off. III. 3/14, 6/14, 7/24; de decretis et praeceptis vide Sen. ep. 94, 95; Stob. ecl. II. 158, 192, 220; Sext. Emp. adv. math. 9, 16.

Haec sufficiunt ut modice intelligatur discrimen huius rei valde obscurae: „Omnis de officiis duplex est quaestio. Unum genus est, quod pertinet ad finem bonorum: alterum, quod positum est in praeceptis, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit" (Cic. de off. I. 3/7). „Τῶν καθηκόντων τὰ μὲν εἶναί φασι τέλεια, ἃ δὴ κατορθώματα λέγεται. κατόρθωμα δ' εἶναι τὸ κατ' ἀρετὴν ἐνέργημα, οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ δικαιοπραγεῖν· οὐκ εἶναι δὲ κατορθώματα, τὰ μὴ οὕτως ἔχοντα, ἃ δὴ οὐδὲ τέλεια καθήκοντα προσαγορεύουσι, ἀλλὰ μέσα, οἷον τὸ γαμεῖν, τὸ πρεσβεύειν, τὸ διαλέγεσθαι (Stobaeus).

Cic. de off I. 3/8: „Atque etiam alia divisio est officii. Nam et *medium* quoddam officium dicitur et *perfectum*. Perfectum officium rectum, opinor, vocemus, quod Graeci κατόρθωμα; hoc autem commune (officium) καθῆκον vocant. Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id officium perfectum definiant: medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit".

[60]) Graece: ὀρθοπεδεῖν ἐν τῷ βίῳ. Cf. Turneb. adv. XVIII. 12. Vide Plum. a. h. l. Est metaphora ab hominibus non scauris desumpta.

[61]) Epict. fragm. 53 ed. Schweigh. p. 193. Cf. Plut. de rep.

Stoic. 13. 24. 26; Arrian. diss. II. 11, 17; Clem. Alex. paedag. II. 10, pag. 82. ed. Sylb; Cic. de fin. III. 17/57; Stob. ecl. II. 143.

[62]) Vide quae annotavi ad. vm. 78 h. sat.

[63]) Cf. Sen. de ben. II. 29: accepimus animum sideribus velociorem, quorum post multa secula futuros cursus antecedit.

[64]) Cf. ad [16]) pag. 11 h. d.

[65]) Epicurei τὸ θυμικόν reliquerunt secuti τὸ ἐπιθυμητικόν.

[66]) Nonnulli legunt *ventrem* pro *Venerem*.

[67]) Verbis *qui ad virtutem tendit* intelligitur *proficiens* sive τὸ προσκόπτων.

[68]) Malim legere: Hic, hic est, quam quaerimus (sc. libertatem). *Hic* 1. e. *in pectore* opp. *in festusca*.

[69]) *Proprium* et *primum* saepe confundi in mss. constat. Vide Forcell. lex. in voce.

[70]) Etude de moeurs et de critique sur les poetes latins de la décadence. Brux. L. Hauman et Co. 1834.

[71]) De sorite ac talibus argutiis vide Diog. Laert. l. II. 10, 104, 108; l. VII. 1, 49, 82. Imprimis legendae sunt Menagii annotationes in l. II. 108, et in l. VII. 82. Diog. Laert. (ed. Meibom.).

THESES.

THESES.

I.

Thuc. lib. II. c. 102:

ὁ δ' ἀπορῶν, ὥς φασι, μόλις κατενόησε τὴν πρόσχωσιν ταύτην τοῦ Ἀχελῴου, καὶ ἐδόκει αὐτῷ ἱκανὴ ἂν κεχῶσθαι δίαιτα τῷ σώματι ἀφ' οὗπερ κτείνας τὴν μητέρα οὐκ ὀλίγον χρόνον ἐπλανᾶτο.

Delenda sunt verba: *οὐκ ὀλίγον χρόνον.*

II.

Thuc. lib. III. c 21 :

διὰ δέκα δὲ ἐπάλξεων πυργοὶ ἦσαν μεγάλοι καὶ ἰσοπλατεῖς τῷ τείχει, διήκοντες ἔς τε τὸ ἔσω μέτωπον αὐτοῦ καὶ τὸ ἔξω, ὥστε πάροδον μὴ εἶναι παρὰ πύργον, ἀλλὰ δι' αὐτῶν μέσων διῄεσαν.

Delenda sunt verba: *διήκοντες ἔς τε τὸ ἔσω μέτωπον αὐτοῦ καὶ τὸ ἔξω.*

VI.

Plat. Meno XIII. 80:

καὶ σὺ δοκεῖς μοι νῦν ἐμὲ τοιοῦτόν τι πεπειηκέναι, ν α ρ κ ᾶ ν.

Delendum: *ν α ρ κ ᾶ ν.*

VII.

Plat. Symp. 189. E:

ἀνδρόγυνον γὰρ (ἓν) τότε μὲν ἦν καὶ εἶδος καὶ ὄνομα ἐξ ἀμφοτέρων κοινὸν τ ο ῦ τ ε ἄ ρ ρ ε ν ο ς κ α ὶ ϑ ή λ ε ο ς, νῦν δ'οὐκ ἔστιν ἀλλ' ἢ ἐν ὀνείδει ὄνομα κείμενον.

Del. *τ ο ῦ τ ε ἄ ρ ρ ε ν ο ς κ α ὶ ϑ ή λ ε ο ς.*

VIII.

Plat. Gorgias VIII (453. C.):

ὥσπερ ἂν εἰ ἐτύγχανόν σε ἐρωτῶν τίς ἐστι τῶν ζωγράφων, Ζεῦξις, εἴ μοι εἶπες, ὅτι ὁ τὰ ζῶα γράφων, ἆρ' οὐκ ἂν δικαίως σε ἠρόμην ὁ τὰ ποῖα τῶν ζώων γράφων κ α ὶ π ο ῦ;

Lege: *κ α ὶ π ο ῖ α ο ὔ;*

IX.

Plat. Protagoras XXXIII (347 c.):

καὶ γὰρ οὗτοι, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἀλλήλοις δι' ἑαυτῶν συνεῖναι ἐν τῷ πότῳ μηδὲ διὰ τῆς ἑαυτῶν φωνῆς καὶ τῶν λόγων τῶν ἑαυτῶν ὑπὸ ἀπαιδευσίας, τιμίας ποιοῦσι τὰς αὐλητρίδας, πολλοῦ μισθούμενοι ἀλλοτρίαν φωνὴν τὴν τῶν αὐλῶν, καὶ διὰ τῆς ἐκείνων φωνῆς ἀλλήλοις σύνεισιν.

Del. τὴν τῶν αὐλῶν.

X.

Ovid. Metam. I. 711—712:

Atque ita disparibus calamis compagine cerae
Inter se iunctis nomen *tenuisse* puellae.

Lege: *tribuisse.*

XI.

Ovid. Metam. III. 363 sqq.:

„Postquam Saturnia sensit,
„Huius" ait „linguae, qua sum delusa, potestas
Parva tibi dabitur vocisque brevissimus usus":
Reque minas firmat. *tamen* haec in fine loquendi
Ingeminat voces auditaque verba reportat.

Corrigendum: *tantum.*

XII.

Ovid. Metam. IV. 635—636:

Mille greges illi totidemque armenta per herbas
Errabant, et humum *vicinia nulla* premebant.

Recipienda est lectio: *vicinam mille.*

XIII.

Ovid. Metam. IV. 662 sqq:

Clauserat Hippotades *aeterno* carcere ventos,
Admonitorque operum coelo clarissimus alto
Lucifer ortus erat.

Legendum puto: *extremo*

XIV.

Ovid. Metam. XI. 123—124:

Sive dapes avido convellere dente parabat,
Lamina fulva dapes, *admoto* dente, premebat.

Corrige: *arrosas.*

XV.

Ovid. Metam. XIII. 314—715:

Chaoniosque sinus, ubi nati rege Molosso
Impia *subiectis* fugere incendia pennis.

Emendandum est: *sublati.*

XVI.

Horat. Sat. II. lib. II. vs. 65—66:

Mundus erit, qui non offendat sordibus, atque
In neutram partem cultus miser.

Haec lectio nullas praebet difficultates.

XVII.

Sallust. De Bello Iugurthino, c. 91:

Id facinus contra ius belli non avaritia neque scelere consulis admissum, sed quia locus Iugurthae opportunus, nobis aditu difficilis, genus hominum mobile infidum, *ante* neque benificio neque metu coercitum.

Delendum: *ante.*

XVIII.

Sallust. De Bello Iugurthino, c. 100:

Dein Marius, uti † coeperat in hiberna.... propter conmeatum in oppidis maritumis agere decreverat.

Sic emendandum: Dein Marius, uti coeperat in hiberna *properat;* propter conmeatum in oppidis maritumis agere decreverat.

XIX.

Livius. II. c. 1. § 6:

Dissipatae res nondum adultae discordia forent; quas fovit

tranquilla moderatio imperii, eoque nutriendo perduxit, ut bonam frugem libertatis maturis iam viribus ferre *posset.*

Muta *posset* in: *possent.*

XX.

Livius II. c. 43. § 6:

Unus ille vir, ipse *consul*, rem publicam sustinuit, quam exercitus odio consulis, quantum in se fuit, prodebat.

Lege pro *consul: consilio.*

XXI.

Livius II. c. 64. § 2:

Similem annum priori consules habent, seditiosa initia, bello deinde externo *tranquilla.*

Scribendum est: *tranquillum.*

XXII.

Livius. XXV. c. 26 § 12:

Multo tamen vis maior pestis Poenorum castra quam Romana — diu circumsedendo Syracusas caelo aquisque adsuerant magis — *adfecerat.* ex hostium exercitu Siculi, ut primum videre ex gravitate loci volgari morbos, in suas quisque propinquas urbes dilapsi sunt; cet.

Sic corrigendum est: Multo tamen vis maior pestis *per* Poenorum castra quam Romana; diu circumsedendo Syracusas caelo aquisque adsuerant magis. *et* hostium exercitus Siculi, ut primum cet.

XXIII.

Quod Gellius tradit (XI. 1) „supremam multam institutam fuisse duarum ovium, boum triginta", non est quod suspicionem moveat reputantibus oves maioris pretii habitas esse quam boves, quod lana, sola materia omnium vestimentorum, tunc temporis e regione ipsa petenda erat.

XXIV.

Census quintae classis fuit decima pars primae.

XXV.

Accensi eo velati audiebant, quod officia forensia exercentes togis indui soliti erant.

XXVI.

Gratis asseritur servos in causis fuisse, quae populum romanum pessumdederint.

XXVII.

Bidentes non sunt μέτασσαι, ut putat Jos. Scaliger. Bidens est ovis vel bos intra duodeviginti et viginti quatuor menses, quo tempore habet duos medios dentes permanentes, qui ceteris sex lacteis eminentiores sunt.